

www.e-rara.ch

**Thesaurus Historiae Helveticae Continens Lectissimos Scriptores, Qui Per Varias
Aetates Reipublicae Helveticae Rationem, Instituta, Mores, Disciplinam, Fata Et Res
Gestas Sermone Latino Explicarunt ...**

**Glareanus, Henricus Loriti
Guillimannus, Franciscus
Hemmerlin, Felix
Pappus, Leonhard
Pirckheimer, Willibald
Plantin, Jean-Baptiste
Schweizer, Johann Heinrich
Simmler, Josias**

Tiguri, 1735

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: IV ZZ 76 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-89378>

Henrici Loriti Glareani descriptio Helvetiae, nec non panegyricon XIII. Helvetiae partium. Cum commentariis
Oswaldi Myconii Lucernani.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

HENRICI LORITI
GLAREANI

DESCRIP TIO
HELVETIAE,

NEC NON

PANEGYRICON XIII.
HELVETIAE PARTIUM.

CUM

COMMENTARIIS

OSWALDI MYCONII
LUCERNANI.

IN VITRO
HISTORIA

HENRICI FORSTII

GLAUFANII

DE SCRIPTIO

HELVETIAE

RECENSIO

PANEGYRICON XIIII

HELVETIAE PARTIUM

CUM

COMMENTARIIS

OSWALDI MYCONII

LUCERIANI

OSWALDUS MYCONIUS

LUCERNANUS

CONSULIBUS ET SENATUI TIGURINO,

S. D.

VIDI haecenus eos, qui ingenii monimenta posteris commendare statuerunt, quæsisse operum suorum defensores, ne quis forte iudex iniquior ore invido obganniens contaminaret ipsorum scripta, efficeretque ne laus foret integra, quam alioqui ex bene dictis essent consequuti. Ego vero huiusmodi blaterones nihil morans (quamvis plurimos futuros provideam) has qualescunque ingenii primitias vobis dedico, primum respiciens, quod vobis jampridem cohabito, sustentatus salario probatissimorum virorum collegii divi Felicis, et Regulæ, quos equidem ut pro singulari doctrina, honestate, atque in me benevolentia non possum laudibus tollere condignis, ita minime attento. Dein vero, ut intelligeretis, quo animo essem adfectus erga Senatium Tigurinum, quodque eum dignum iudicavi, qui ob eximiam Prudentiam, Iustitiam, Severitatem, Clementiam, Abstemiam, atque Mansuetudinem apud posteros agnosceretur. Accedit, quod urbs vestra in Helvetiis prima est, quamobrem cui condignius, quod ad totam Helvetiam attinet, offerrem, quam vobis? Sed, quid id tandem est? inquitis. Commentariolum in Glareani Poetae doctissimi carmen de Helvetiâ. Quod quidem à multis lectum, à paucis vero intellectum cum haberetur compertum, adierunt me ex Glareani discipulis quidam rogitantes, ut præceptoris opusculum redderem lucidius. Sic enim sibi persuaserunt fore, ut et à pluribus legeretur, et lubentius, utque hoc modo Helvetiorum laudi nonnihil accessurum esset. Repugnavi principio, fateor, virium mearum diffidens, sed ubi cognovi in illis spem de me esse, ut id oneris possem sustinere (sunt enim tales, quibus iudicium in hac re deest minime) provinciam suscepi, atque ad finem perduxî: quam auspiciato, aliorum sit iudicium. Illud vere dico, nihil rerum Helveticarum esse adnotatum, quod non sit vero verius. Si non ita eleganter, ut nostro saeculo respondeat, non admodum curamus, contenti indicasse, præsertim primi, uti res habet. Verum quod dicti adolescentes fecerunt impulsando, ut ad commentariolum me accingerem, id egerunt postea discipulorum meorum quidam, ut congestum in lucem extruderem. Inter quos primus Felix Myconius filiulus meus, ejus spei puer, ut de ipso expectem, quicquid de optima quaque indole expectari potest. Deinde Martinus Publicola, Nicolaus Trochulus, vernaculi mei; Ludovicus Sprinlius Tigurinus, et Nicolaus Hagius Salodorus, optimæ spei adolescentes. Atque intantum me precando sollicitarunt, ut tandem persuaserint, quemadmodum videtis. Vestrum igitur nunc est, munusculum hoc meum accipere ea fronte, qua ego offero, neque cogitare, quam sit impar magnitudini vestræ (quod et ipsi novimus) sed animum meum, qui in hac re tantus, ut si tam eum videre possetis, quam ego, conspiciamini magnitudinem ejus, magnitudini vestrae parum cedere. Sed novistis pro singulari prudentia, munera non amplitudine, non precio aestimari, sed animo dantis. Sic mihi persuasum habeo, etsi nihil aliud, tamen raritatem hoc munusculi gratum vobis efficere, haecenus enim nullum vos tale accepisse, sat scio. Praeterea et illud gratiam conciliabit sine dubio maximam, quod chartaceum est, solent namque huiusmodi dona esse perpetua, et illos perpetuos reddere, qui iis ipsis sunt munerati. Qua re apud veteres nihil existimatum est majus, aut preciosius, utpote qui considerarunt, quam foret prorsus homini indignum, ita mori, ut nulla ipsius memoria de rebus bene actis relinqueretur. Jam igitur facite, digni hoc sitis munere, quod quidem tum fiet, cum benigne suscipitis. Valete in usum Reipublicae Tigurinae, et totius Helvetiae, meque vobis habete commendatum. Ex Tiguro undecimo Calendas Februarii. Anno M D XIX.

D. HENRICO UTINGER
TIGURINO, TIGURINAE ECCLESIAE
CANONICO, COMITI PALATINO, VIRO
PERQUAM COLENDO,
HENRICUS GLAREANUS
HELVETIUS, POE. LAU. S.

CUM NUPER in itinere tuo, ex Argentorato ad Tigurum, vir praestantissime, Basileae optima illa tua mihi gratissima interpellandi consuetudine me viseres, conferremusque quam plurima de instituenda juventute Helvetica, ut aliquando hostium iudicium (qui nil nisi ignorantiam ignorantes obijciunt) falleremus, tandem in nostrae patriae antiquitates longiore, quam nos ipsi putavimus, sermone (nescio quomodo) incidimus. Coepi ego meipsum opportune colligere, quaeque de Helvetia apud optimos quosque, aut reperissem, aut invenissem autores, congerere, posterisque tradere, et ad majora invenienda ansam praebere. Neque ab hoc instituto deterruit me, quod non dubitem et reprehensores adesse, et maledicos carminum meorum iudices. Quis enim nescit quot annis, et fortiter, et patienter Helvetia ejusmodi hominum balatus tulerit? nonnunquam ora rugientia contuderit? Aut cur mihi veniam darent, qui toti patriae petulantissima lingua non pepercerunt? Quibus neque satis fuerat nostrae invidere gloriae, sed et in maledicentiam ora commovere, quod forsitan de suis aut nihil dignum lectu inveniunt, aut si inveniunt, sua tempora à majorum gloria longissime delirare conspiciunt, indeque occasionem honestam accepisse in nos clamare, tanquam Christiani non simus, ceu neque rationem, neque hujus usum habeamus, quod libertatem nostram, quod justitia et armis tueamur, quod non, ut servi, tyrannis audientes simus, quod rempublicam nostram juste augeamus. Quali vero melius sit Porfenaee servire, quam Mutii exemplo, inconcussum animum in igne et minis gerere. Sed quis nihili viris istis, qui se ut maledicant, aut existimant, aut natos opinantur, rictus impudentissimos obstruet? dimittendi sunt potius, quod famae exordia diris imprecationibus auspicantur, gloriamque quam invidentibus fati assequi non possunt, fortissimis invident Heroibus. Unum me consolatur, cum in Helvetia plurima et praeclara ingenia hodie sint, virique docti quam plurimi, qui et carmine et soluta oratione plusquam valeant (quales Durani duo, Uldricus Zinglius Doggius, Joachimus Vadianus; deinde et Henricus Lupulus Arctopolitanus, praeceptorque meus Michael Rubellus Erythropolitanus, cujus moribus ne Momus quidem invideret; sed quid treis Amorbacchios, Brunonem, Basilium, et Bonifacium, urbis Rauriacaee sidera memorem? aut quomodo reliquos quam plurimos, brevi hoc epistolio enumerem?) nullum tamen fuisse, qui in alias nationes vel dicto vel scripto stomachatus fuerit. Quod ego quoque quanti faciam, demonstrabit luce clarius hoc in carmine modestia mea, cum nostra laudem (quis enim de suis non magnifice loquitur?) aliena nusquam vituperaverim. Ad te redeo, accipe de urbe Tigurina, atque tota Helvetia, quae ex pluribus et dignissimis autoribus, non sine magno labore corrasimus, quae etsi mihi imperfecta etiam nunc videntur, suo tempore cum aliis nostris operibus et emendatiora et locupletiora dabo; nam plurimorum rogatu in studio nostro Basileo, haec, qualiacunque dijudicentur, diutius oculere nequivi. Vale felix. Basileae An. MDXIII.

PRAEFATIO OSWALDI MYCONII
LUCERNANI IN GLAREANI CARMEN
DE HELVETIA.

QUAM difficilem rem sit Poeta noster aggressus in describenda Helvetia, vel hinc manifestum, quod ducent, cujus vestigia notaverit, habuit neminem. Haecenus enim (ut verum fatear) parum apud nostros tributum est literis, quocirca qui illis dederint operam, fuerunt paucissimi. Eo modo res omnes, quas et regio ipsa laudabiles continet, et quae a viris Helveticis tum prudentia, tum fortitudine, non absque ingenti gloria sunt gestae, usque adhuc jacuerunt. Sed quod nulla ferme pars est hodie totius orbis Christiani, quae non fertilis sit ingeniorum, aedidit et nobis praeter caeteros Helvetia Henricum Glareanum virum, de quo dubites doctior ne sit, an melior. Is inquam pro ratione Geographica ejus terrae descriptionem suscepit, id quod Titulus indicat, adjunctis quatuor Pagis, de quibus Caesar meminit, atque Panegyrico laudatissimi, pariter et justissimi Helvetiorum foederis. Cujus quidem descriptionis (ut breviter dicamus) hujusmodi retinet formulam. Invocat, materiam exponit negotii, Helvetiam a quatuor mundi partibus depingit, atque totius Europae locum aeditissimum esse demonstrat. Naturam aperit regionis, et fontes, cum adnexis pagis, adjacentibusque populis: concludens demum, sic Deum ab exordio mundi prudenter, ut omnia, disposuisse. Quid in Panegyrico contineatur, suo loco dicemus. Lector hic obiter admonendus, Helvetiae vocabulum apud veteres nusquam inveniri, sed Helvetios. Neoterici tamen eo utuntur non absurda Analogia. Videntur enim nomina in ia fere a populorum pluralibus descendere, quemadmodum Italia ab Italis, a Germanis Germania, et mille hujusmodi, quanquam nos minime praeterit, non ubique id ita servari. Verum satis nobis est, vel Erasmus hoc nomine usum, ubi dicit: Jam Helvetia nobilior armis, quam literis.

HEN-

) (I) (

HENRICI GLAREANI
DESCRIPTIO
HELVETIAE.

Pierides nymphæ, Boeotia numina, Musæ,
Fundite Pegaseum per inertia membra liquorem,
Euge chelym Vatis, dulcesque agitate camoenas,
Helvetia enim cantanda mihi, gens inclyta bello:
Gens Aquilam, gens terribileis imitata leones.
Causam ortus nostri, quis sit quoque foederis autor,

COMMENTARIUM.

Pierides Nymphæ.) Invocatio. Pieria apud *Strab.* Lib. X. locus Musarum est in Macedonia, quem olim habuere Thraces, et a *Pomponio Lib. II.* Musarum parens, domusque vocatur: hinc Pierides appellatæ. *Festus* putat a Pierio monte dictas. Non igitur a Pieri filiabus a Musis cantando victis, ut fabulatur *Ovid. Lib. V. Meta.*

Boeotia numina.) A Boeotis cultæ. Appositorie dictum.

Fundite.) Administrate. Fundite autem dicit, quia sequitur

Pegaseum liquorem) Refert *Ovidius* Pegasum equum alatum ex guttis ortum Medusei capitis a Perseo amputati, fontem unguis aperuisse in Helicone monte, quem Hippocrenen dicunt. Hujus fontis aquam Poeta flagitat, hoc est, scientiam, nihil enim aliud aqua significare videtur. Ut etiam in divinis literis ubique supernæ legis notat cognitionem.

Inertia.) Indocta. Attenuatio est.

Euge.) Hortantis est.

Chelym.) Citharam.

Dulces agitate camoenas.) Dulce carmen movete. Camoenæ Musæ dicuntur a carminibus, quod antiquorum laudes canunt. Vel quod sint castæ mentis præsides, ut *Festus* scribit.

Helvetia.) Emphasim habet q. d. Regio tam nobilis, tam potens, tamque eximia.

Gens inclyta bello.) *Baptista Mant.* contemptores animæ, *Erasmus Roterod.* gentem bello natam appellat. Illud adjiciendum: Helvetios hujusmodi bellatores semper extitisse, ut qui a justitia ne latum [ut ajunt] digitum abscefferint unquam. Ne semel quidem [quod sciam] in hostes profecti, nisi dum pacem aliter impetrare nequiverunt, [de mercede a Principibus conductis nihil loquimur]. Confligentes cum hostibus tam acres se præstiterunt, ut cum quibus conferantur, non facile reperias. Tam non post victoriam in victos saevierunt, ut complures etiam ad mortem faucios vulneribus ligatis domum per suos dimiserint. In primis vero militiæ cave-

runt sacramento, ne rebus Deo sacris manus violentæ afferrentur, senibus item, mulierculis, imbellique virginum, viduarum, ac puerorum turbæ parceretur. Surda igitur aure, tuum est, candidissime lector, prætereas eos, qui nescio quam truculentiam, quam impietatem, quam denique plus quam ferinam naturam Helvetiis adscribunt. Non enim veritatis ratio, sed invidia tales [nominibus libenter parco modestiæ Poetæ nostri memor] stimulat, quæ, quo hominum genus plerumque impellat, te nimirum haud præterit.

Gens aquilam.) Haec animalia procul amoto pavore omnia aggrediuntur. De aquila nanque scribit *Plin. Lib. X.* Ipsam pugnare cum cervis, et draconibus. *Erasmus* quoque in *Scarabeo* suo hujus avis naturam mirifice depingit. Leoni quanta insit generositas, nemini reor incompertum. *Plinium* de leonum natura lege *Lib. VIII.* Et *Solinum* *Cap. 36.*

Causam ortus nostri.) Id est quæ foedus Helveti incoeperint. Hujus rei causam fuisse palam liquet Tyrannidem nobilium, quos Comites primum Habsburgenses, dein Principes Austriae, Svitiae, Uriae, ac Sylvaniae incolis præfecerant, postquam volentes in potestatem se illis dederunt. Nam dum sibi, non patriæ gesserant imperium, tamque superbe ac truculenter fecerant, non quod jus erat, sed quod libuerat, penitusque incubuerant ad hoc, ut sibi bene, suis autem esset male, non poterat tolerari diutius insolentia ita omnibus modis imperiosa, quapropter nonnulli, qui non minima pars fuerant ejusmodi calamitatum, ceperunt consilium, quo et se et suos in libertatem assererent. Huc igitur deventum, ut Tyranni exterminarentur, percutereturque foedus totius communitatis consensu, quod velint libertatem adeptam, quoad valeant, Dei subsidio defendere.

Autor.) Primus inceptor, liceat sic dicere. Is autem fuit Guilielmus Tell Urius, de quo statim dicemus.

Tantique imperii, cur pomum fronte pufilli
 Invisum certa figis Guilielme sagitta:
 Quod studium, quæ sit populi nascentis origo,
 Non nostris puto carminibus celebranda, nepotum
 Officium id, maneat nostros ea cura minores.

10

Illius auspicia, et famae immortalis honores,
 Quisve typus patriae, quae forma, quibusve remensa
 Limitibus, gracili cordi est mihi ludere versu.

15

Principio antiquos solis contingit ad ortum
 Vindelegos, et pugnacis fera castra Briganti,
 Caeretiâsque Alpes; spacioque remota parumper
 A Leopontinis Aetuatice rura colonis

Tanti imperii.) Respectu originis.

Cur pomum f. p.) Apostrophe ad Guilielmum. Nosse hoc loco Tyrannidem ejus, qui Uriis et Suis olim dominabatur, necesse videtur. Eo namque vecordiae processerat, ut pileum apud Urios publico itinere sublatum tam venerari mandarit, quam si ipse praesens consisteret. Guilielmus ille mandatum, ut prorsus iniquum, aliquoties neglexit, quare comprehensus Tyranno sistitur. Interrogatus temeritatis causam, imprudentiae adscribit, petitque veniam. Tyrannus responsi negligens jubet tacitus Guilielmi liberos adduci, et hunc cogit inter hos lectissimo ex vertice sagitta malum deturbare, hoc tamen praetextu, ut experientia sciret in illo sagittandi artificium, quod toties miris laudibus vehi animadvertit. Jam re feliciter peracta, telum posteriore a Guilielmo insertum pectorali, Tyranno suspicionem injicit: verum causam non prius extorsit, quam vitam pactus est. Tum inquit ille, reservatum in Tyranni exitium, si filiolum confodisset. Indignabundus Tyrannus confestim praecipit ligatum conjici in navim, abducique Suisiam ad perpetua vincula. Et jam medium lacus [Lucernano huic nomen] tenebant. Tunc vero tam ingens repente oboritur tempestas, ut salutem desperarent omnes, adclamarentque uno ore ad dominum pro Guilielmo solvendo, ut ipsos servaret. Jussu itaque illius solvitur, adprehendit clavum, navis in vado putabatur. Nec autem multo post, salutis spem concipit, saxo non admodum extante procul ad littus conspicato, quamobrem famulos Tyranni hortatur, remis insurgant, ita enim opus facto. Parent, raditur saxum, Guilielmus filiolo, arcu et telis arreptis [haec omnia navi cum eo fuerant injecta] in hoc ipsum repentino saltu infertur, et pedibus puppim quantis potest viribus in altum proculcat. Cursum festinat per Suisiam in vicum quendam cognomine Cavum a Kusnacht pago porrectum ad lacum usque Artensem, quem et Tuginum dicunt. Ibi quaerit insidias. Interim Tyrannus portum offendit. Transeundum erat illac, ubi Guilielmus latitabat. Postquam igitur contra insidiarum locum pervenit, ille telo emisso ipsum trajicit, deinde revertitur ad suos, rem totam, ut erat facta, commemorans. Post haec non longo tempore primum foedus a paucissimis initum est.

Certa.) Pomum enim tetigit. Sic certam dicimus manum, quae quicquid destinat, jaculo contingit.

Quod studium.) Scilicet vindicandae libertatis. Illud quidem quam fuerit vehemens, apparebit facile superiorem consideranti Tyrannidem, atque ea, quae brevibus jam adjungemus. Fuere enim Tyranni,

qui uxores, atque filias suorum violenter abstractas non prius remiserunt domum, quam suae libidini satisfactum est, neque quisquam audebat contra impune, ne mussare quidem. Inter istos, qui Sylvanis praeerat, Landenbergius genere, oculis senem privavit, omnibusque bonis, quod filius ejus digitum fregerat servo, qui jussu domini conatus erat ex aratro jumenta abducere. At ille idem non multo postea securi in balneo percussus oppetit, dum honestam Sylvani cujusdam uxorem adulterio contaminare pararet. Haec quidem quam maxima crudelitate perpetrata, quem non moverent ad libertatem quaerendam? Sunt enim ex quibus alia poteris cognoscere, ceu leonem [ut dici solet] ex unguibus.

Celebranda.) Cantanda.

Nepotum.) Posterorum. **VERGILIUS:**

Seris factura nepotibus umbram.

Auspicia.) Fortunam. **VERGILIUS:**

Me si fata meis paterentur ducere vitam

Auspiciis - - - - -

Exponit autem quid scripturus sit.

Typus.) Figura, et ad quantitatis refert descriptionem. Τύπον formam, figuram, adumbrationem Graeci dicunt.

Forma.) Respicit qualitatem, seu naturam terrae.

Limitibus.) Finibus, terminis.

Principio.) Narrare incipit, primum indicans quid Helvetia habeat ab oriente. Ponit omnia, quae secundum Geographos limitum obtinent rationem, ut gentes, oppida, lacus, flumina, montes, et si qua sunt hujusmodi. Ubi hoc notandum, nomina quaedam poni, quorum cognitio haberi non potest, nisi ex conjectura: in causa est vetustas.

Contingit.) Helvetia.

Vindelegos.) Populos, de quibus *Strabo Lib. IV.* sic scribit. *Rhenus quoque magnas in paludes, lacumque magnum effunditur, quem Caereti et Vindelegi propius attingunt.*

Briganti.) Oppidi vetustissimi ad caput lacus Constantiensis. *Ptolemaeus* id adscribit Rhetis. *Strabo* vero *Lib. IV.* inquit, Brigantes pertinere ad Vindelicos. Hodie Bregantium dicitur. Lacus praedictus nomina quondam ab ipso oppido habuit. Nam *Solinus* Brigantinum, *Ammianus* Brigantiae lacum dixerunt.

Caeretiâsque Alpes.) Caeretorum populorum juxta Rheni principium.

A Leopontinis.) Populis Rhetiae, teste *Strabone Lib. IV.* *Caesar Lib. IV. de bello Gallico* Leopontios ad caput Rheni statuit. *Ptolem. Lib. III.* Leopontiorum civitatem Oselam ponit in Alpibus ad lacum Larium.

Etuatica rura colonis.) Rheno autem vicina omnium primi colunt Etuatici, quibus fluminis origo vicina

Trans Rhenum, molles ubi Rhetus pampinat uvas
Bellipotens, etiam si Suanica non regat arva. 20
Suanica, nostro aevo Herciniis habitata Suevis.

Hic primos fontes, hic dat duo cornua Rhenus
Monte Diaduella, longeque effusus in amneis
Acronium et Venetum, Romana ac barbara regna
In boream cursans amni crepitante diremit. 25

Insuabres medium ad solem, atque Segusia prata
Prospicit, et quas persecuit ferus Hannibal Alpes.
Tum montes Urfella tuos, ubi spumifer exit
Coeruleo Rhodanus curru, qui turbidus arces

vicina est, in Diaduella monte: hic Alpium pars est, a quo Abduas fluuius in contrarium fluit ad interiorem Galliam, lacum implens Larium, cui proximum conditum est Comum. Dehinc in Padum confluit, haec iterum *Strabo Lib. IV.*

Rhetus.) Rhetos supra Comum ad Alpium radices *Strabo* jacere dicit, et pertinere ad Italiam usque, quae supra Veronam et Comum est, Tuscorum prolem, *Plinio* teste. Quidam eos arbitrantur a Gallis pulsos duce Rheto. *Ptolemeus* Rhetiam Adula monte, Danubio, Aeno, et Alpium montibus concludit. Vinum Rheticum inde dictum, quod inter preciosa vina numeratur. **VERGILIUS:**

- - Et quo te carmine dicam Rhetica.

Pampinat.) Decerpit.

Molles.) Alludit ad vini precium.

Suanica.) *Ptolemeus* Suanetas populos inter Rhetos ponit. Sed Poeta alludit ad Schanau oppidum hodie non Rhetorum, sed Suevorum.

Herciniis habi. Sue.) Hoc dicit quod nonnulli Suevi intra eandem sylvam, aliqui extra habitant. Autor *Strabo* in VII.

In Suevis.) Diaeresis est.

Hic primos fontes.) Rhenus apud Rhetos oritur, et ab Alpibus decidens prope a capite efficit Venetum et Acronium, mox diu solidus, et certo alveo lapsus haud procul a mari huc illuc dispergitur. Testis *Mela Lib. III.* Eundem describit *Caesar Lib. IV. de bello Gallico.*

Duo cornua) Duobus fontibus oritur, propterea hoc dictum. **VERGILIUS** aliter bicornem appellat.

Monte Diaduella.) *Strabo* testis, ut supra diximus.

Longeque effusus in amneis Acron. et Vene.) Acronium lacum hodie Constantiensem dicunt, Venetum autem Cellensem. Dubitatum est aliquamdiu Acronium ne an Acronium dicendum foret. Sed hanc dubitationem facile depulit hodie *Joachimus* ille *Vadianus* multae doctrinae vir, et mihi [quod in primis jucundum] amicissimus, in epistola ad *Agricolam* suum. Ibi namque Acronium dicendum esse apposite docet, ab *a* privativa particula, et Cronium, Saturnium et frigidum, a *κρόνος* Saturnus, qui frigidus est, hoc significans, lacum ideo sic appellatum, quod minus frigoris vehementia prematur, et glacie. Venetus lacus a colore marino dictus, qui coeruleus est. Poeta *Joachimo* subscribens carmen hoc loco correxit, et amnes lacus vocavit, non nisi quod sint tam lucidi, tamque splendidi, ut amnes videri queant. Lacus autem amnis nomine posse dici *κατὰ ταπεινότητα* quis ignorat?

Romana et barbara regna.) Romano etenim imperio Rhenus olim terminus erat, intelligitur Germania.

In Boream cur.) Septentrionem, cujus Boreas ventus est.

Insuabres medium.) Quid Helvetiam cingat a meridie, demonstrat. Insuabres populi sunt Galliae citerioris, quorum civitates sunt, ut *Ptole.* habet *Lib. III.* Novaria, Mediolanum, Comum, et Ticinum. Addunt quidam Laudam, et Vercellos. Insuabrum meminit *Strabo Lib. V.* et *Plin. Lib. III.*

Ad medium solem.) Ad Meridiem.

Segusia.) Segusianos *Strabo Lib. IV.* in Rhodani et Dubidis fluviolorum medio jacere dicit. *Caesar* non longe ab Allobrogibus collocat *Lib. I.*

Persecuit.) Perfregit. Respexit nimirum ad illud, quod est apud *Plutarchum*: Hannibalem in superandis Alpibus multa incommoda perpeffum, non solum cum incolis montanis pugnando, sed etiam laborando adversus angustias, asperitatesque viarum, hoc modo, ut quibusdam locis per ingentia saxa, igni, acetoque putrefacta sibi aperuerit iter.

Ferus Hannibal.) Hannibalem profus depictum vide apud *Livi. Lib. primo. Decad. III.* *Juvenalis* quoque de eo sic meminit: *Sat. 10.*

- - Opposuit natura Alpemque nivemque.

Diduxit scopulos, et montem rupit aceto.

Jam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.

Astum, inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas

Frangimus, et media vexillum pono Suburra.

Urfella.) Vocandi casus, et Profopopeja. Urfella, seu Urfula [utrumque enim latine] vicus est, et vallis ad radices Gothardi, centum fere stadiis, aut nonaginta distans a fontibus Rhodani. Quare additur,

Ubi spumifer.) Considerandus hoc loco Poetae amor in bona studia, considerandus labor infatigabilis, legit non pauca de Rhodano apud veteres scriptores [ut est in iis evolvendis mire diligens] nihil tamen haecenus invenit, unde certam de hoc flumine veritatem referret. Quocirca fontes ejus quaesivit, cursum secutus est ad lacum usque Lemannum. Id autem, quicquid est, brevibus adnotabimus.

RHODANUS Sedunorum fluuius ex Alpibus originem habet, eo quidem loco, quo ex Urfellana valle per Furcam montem in Sedunorum regionem iter est. Mons, sub cujus radice sunt fontes Rhodani, non saxis, non rupibus, non denique terra, sed perpetua glacie in altitudinem XVI. pene stadiorum insurgit. Utrinque feros habet montes, abjetibus, sylvestribusque arboribus virentes. Ipse suo candore iners jacet, horrendi [me Hercule] aspectus. Non gramen, non virgultum aliquod virens, sed solam concretam, coacervatamque glaciei congeriem, ac si pluvia e coelo illic coaluerit, ostentat. Porro statim post fontes non ad Septentrionem [quemadmodum falso antiqui crediderunt] sed ad meridiem XXX. stadiis labitur, deciditque deorsum stadiis XVI. donec ad caput vallis Sedunorum, et ad occidentem

Helvetias olim Romanis movit ab oris. 30
 Hinc arva Allobrogum, et pendentia saxa Genevæ,
 Atque recurfantes per inhospita tesqua Seduni
 Et Veragri, gens undivomo bene nota Lemanno.
 Denique ad occiduas umbras, Zephyrumque tumentem 35
 Burgundos acres habet, et discrimen utrinque
 Cervices o Jura tuas, qui Sequana rura
 Scindis ab Helvetiis nunquam sine gramine campis.
 Haedus hinc late regnat, Romana secutus
 Imperia, et consanguineos imitatus amicos.
 Lingonicus post horrifonis furor aestuat armis 40
 Nequicquam, et Leucos petit alta in foedera fratres.
 Postremo arctoum, saevique Aquilonis ad axem,

cidens hyemale conversus, pervenit. Tum centum pene stadia eodem tractu currens, ad Zephyrum sese declinat. Deinde per Sedunorum, et Veragrorum terram labens, in Lemannum effunditur. Haecenus de Rhodano.

Helvetias olim Rom.) *Caesar* ab initio libro primo dicit: Rhodanum dividere provinciam Romanorum ab Helvetiis.

Allobrogum.) Hi populi sunt Narbonensis Galliae, qui Viennam habent ad Rhodanum, autore *Ptolem.* Idem *Strabo* ait *Lib. IV.* Hodie Sabaudienfes appellantur.

Et pendentia saxa Genevæ.) De Geneva oppido *Caesaris* verba subscribam, inquit enim: Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. Pendentia saxa dicit, quod pars oppidi in montem extenditur.

Per inhospita tesqua.) Loca inhabitabilia, aspera, et difficilia. Talia nempe tesqua dicuntur *Cicerone* teste. Sunt et loca augurio designata.

Seduni.) Vallesiani dicuntur hodie, a Rhodani fontibus fere ad Genevam protenduntur, vallem habent amoenam, atque septem undique montibus. Rhodanus eam mediam dividit, patet in longitudinem D. LXXX. fere stadia.

Veragri.) Populi Sedunis finitimi supra lacum Lemannum, qui, ut conjectura est, Sedunensis sunt dioecesis. *Caesar* et de Sedunis, et Veragris *Lib. III.* meminit.

Undivomo Lemanno) Rhodanus a Lemanno et recipitur, et iterum evomitur, ideo dicit undivomo. Volunt quidam Alemannos inde traxisse nomen, verum *Quadratus* apud Agathium asserit Alemannos dictos, quod plerique Germaniarum populi in unum convenissent. De Lemanno *Strabo Lib. IV.* ad calcem. Et *Lucanus*:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Denique ad occid.) Quid Helvetiam circumscribat occidentem versus, exponit.

Zephyrumque tumentem) Idem cum eo, quod dicit, occiduas umbras. Zephyrus namque ventus ab occidente flat. Latine Favonius dicitur, testibus *Gell.* et *Servio.* Frequens est autem Poetis, regiones designare per ventos. Hunc tumentem dicit, nimirum, quod ejus naturae sit post hyemis saevissima frigora relaxare nivem, atque producere flores.

Burgundos acres.) Burgundos antiquitus vocabant Sequanos. Populi sunt Belgae ad Saonam fluvium, quos Jura mons ab Helvetiis separat. *Ptolem.* his quatuor tribuit oppida. Diatanium, Visontium, Equestre, et Aventicum. Quanquam postremum hoc

Cornelius Tacitus praecipuam Helvetiorum urbem fuisse scribit.

Cervices.) Juga. A Poetis et montes dicuntur habere capita, cervices, ventrem, et pedes *μεταφορικῶς.*

O Jura.) Jura mons, ut modo diximus, Helvetios et Sequanos dividit, testis est *Caesar Lib. I.* et *Strabo Lib. IV.* Vulgus hodie appellat Leberberg. Quamvis illud non nesciam, aliter quoque appellari, idque pro gentium diversitate, quas attingit. A lacu Lemanno ad eum montem *Caesar* murum perduxit una die, fossamque. Proinde error est dicere, montem esse Alsatiae.

Nunquam sine gra. Campis.) Commendatio a fertilitate. Intelligit eos, qui sunt ad Lemannum.

Hedus hinc.) Hedui populi trans Ararim et Rhodanum Romanis se, apud *Strabonem Lib. IV.* consanguinitate conjunctos asserunt. Primique ejus regionis homines in illorum amicitiam, societatemque convenerunt. *Caesar* quoque asserit *Lib. I.* Heduos saepenumero ab senatu Rom. fratres, consanguineosque appellatos. Quare Poeta etiam subdit: Romana secutus imperia etc.

Lingonicus.) Lingones *Ptolemus* supra Helvetios ponit. *Strabo Lib. IV.* inquit: Supra Helvetios et Sequanos et Hedui et Lingones in occasum vergentes habitant. Supra Mediomatricos Leuci, et quaedam Lingonum portio. Et *Caesar* ait in Lingones Helvetios cecidisse post pugnam cum ipso factam. Hi sunt Tullenses in Lothoringia, id quod antiquitates, et monumenta quaedam certissime indicant, quae *Glareanus* meus vidit in itinere ad Parisios.

Nequicquam.) Frustra. Quid enim Lothoringii potuissent contra Carolum Burgundiae Ducem, sine Helvetiorum auxilio? quamvis hodie satis indicent gratitudinem erga nos suam, si extreme odisse, est esse gratum.

Leucos.) Populos prope Helvetios, de quibus modo dictum. *Ptolemus* Civitates Leucorum dicit Tullium et Nasium.

Fratres.) Vicinos.

Postremo.) Ultimo concludit Helvetiam, quae ad Septentrionem respicit.

Arctoum.) Arcticum.

Aquilonis.) Aquilo ventus Septentrionis, dictus ab Aquilae vehementi volatu, nam et ipse vehemens, et saevus, quemadmodum Poeta eum nominat. Et *Ovidius* attribuit saevitiam, et vires, iramque, animosque minaces. *Meta. VI.* Graece Boreas dicitur *ἀπὸ τῆς βοῆς.* Id est a boatu, quoniam sit violenti flatus, et sonori, ut *Gellius* inquit.

Ad axem.) Ad axem arctoum, et ad axem saevi

Qua scindit placidus Basilea moenia Rhenus,
 Ultima Rauriacam portendit brachia ad urbem;
 Sacconium attingens, Fridolini nobile busto:
 Arietis hinc urbem, tum quorum sermo latinus
 Nomina non patitur, variorum rura locorum,
 Donec ad Acronias, Venetasque recircuit undas.
 Hercinios saltus, sylvam sine fine vagantem
 (Ut Nili ignotam referat longi agminis undam)
 Prendit, Erythropolitanos curvo aggere muros.
 Hic olim pugnax regno Ariovistus avito
 Teutonicas rexit caulas, gentemque superbam
 Germanos, bello indomitos, fuetosque laborum

45

50

faevi Aquilonis, idem; nam ad Septentrionem. Axis proprie illud est plaustrum lignum circa quod rotae vertuntur. Ad cuius similitudinem linea medium sphaerae transiens axis appellatur. Et axes pro polis accipiuntur.

Qua scindit placidus.) Notum est Rhenum placidissimo, pariter et amoenissimo lapsu, insidiante tamen, Basileam interlabi. Unde Picus quoque: Hinc sumptis Basileam dividit urbem fontibus.

Rauriacam.) A Rauracis extractam. Rauraci apud Ptolemeum habuerunt Augustam urbem in littore Rheni. Cujus hodie supra Basileam sunt plurima vestigia. Ii urbe deserta, commutatisque sedibus, sed non longo intervallo, Basileam condiderunt. Quae quidem hodie, ut tempore Caesaris, cum Helvetiis est in foedere.

Sacconium.) Oppidulum Rheni. XVI. millibus passuum supra Basileam jacens. Sunt qui hujus incolae Sequanorum quondam fuisse dicant colonos, et Germanos a sacco putasse dictos. Nos quoque credimus saccum posterius esse, ut Basileorum basilicum, et arietem Scaphusianorum [ut postea dicemus], atque subinde insignia posteriora, in quibus saccum, basilicum, et arietem publice ferunt.

Fridolini nobile busto.) *Fridolinus* enim ibi sepultus jacet. Bustum locus, ubi mortuus est combustus et sepultus, sic dictum, quasi bene usum, nos sepulchrum dicimus esse. Inde bustuarii, quos sandalarios vocamus.

Arietis hinc urbem.) Scaphusiae periphrasis. Hanc vulgus nominatam putat ab ove, cum tamen antiqua Chronica dicant appellatam *Schiffhusen* a frequenti navium statione. Quicquid enim mercium ex lacu Constantiensi per Rhenum defertur, eo loci exportandum est, nam ultra navigio non potest pergi ad mille quingentos pene passus. Graeca compositione hodie vocant Probatopolim, *πρόβατον* enim ovem significat, unde Probatia piscina in Evangelio. *Arietis*, pes est proceleumaticus pro dactylo.

Tum quorum sermo latinus.) Hoc dicit: multa adhuc esse loca, quibus Helvetia ad Septentrionem claudatur, sed nomina esse barbara, et proinde carmini inconvenientia, qualia sunt *Uvaldsbuot*, *Chlingnovv*, *Steckborn*, *Diessenhofen* etc. Consulto igitur relinquuntur.

Hercinios saltus.) Herciniam sylvam ait *Caesar* in sexto Comment. libro Tectosages occuparunt, cujus latitudo novem dierum iter expedito patet, non enim aliter finiri potest, neque mensuras itinerum noverunt. Oritur ab Helvetiorum, et Nemetum, et Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anar-

tium. Hinc se flectit sinistrorsus, diversis a flumina regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est hujus Germaniae, qui se aut audisse, aut adisse ad initium ejus sylvae dicat, cum dierum iter LX. processerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Haec ille. De hac sylva *Strabo* quoque Lib. IV. et VII. scribit. Et *Pompo*. Lib. III. de Germania. Porro sylva Baccenis [obiter enim hoc adnotandum erat] longe alia est, introrsus Chaeruscus a Suevis, Suevosque a Chaeruscis submovens, cujus item meminit *Caesar* in VI. Et quae hodie nigra sylva dicitur, pars est Herciniae. Caput ejusdem est Erythropolis civitas Helvetiis amicissima.

Ut Nili ignotam.) Parenthesim carmen hoc integrum supplet. Comparat autem Poeta Herciniam sylvam Nilo fluvio maximo Aegypti, eo quod ejus origo pariter, uti Herciniae, apud veteres ignorata fuit. Unde *Hora*.

Te fontium qui celat origines Nilusque. Et Ovid.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occulitque caput, quod adhuc latet, ostia septem
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.

Nero Centuriones duos misit ad investigandum caput Nili. Illi vero retulerunt, se venisse ad immensas paludes, quarum exitum nec incolae noverant. Deinde vidisse duas petras, ex quibus ingens vis fluminis exciderit, verum an caput ibi fluminis sit, prorsus ignorare: propius enim adeundi potestas non fuit. Auctor *Seneca* Lib. VI. natural. quaesi.

Agminis.) *Curfus*.

Prendit.) Scilicet Helvetia, hoc est, attingit.

Erythropolitanos.) *Rotuilanos*, ita enim vulgo dicimus. *Ερυθρόν* namque rubrum signat. Hujus civitatis mentionem his de causis maxime facit, quod a multis jam annis continuo Helvetiis adhaesit, atque in bellis etiam difficillimis semper praesto fuit suis praefidiis, animumque fortissimum nunquam non indicavit. Deinde autem, quod Praeceptor ejus primus *Rubellus*, qui hodie bonas literas cum maxima laude Bernae profitetur, vir ut doctrina clarus, ita probitate conspicuus, inde natus sit. Denique quod illic primum literis incubuerit.

Curvo aggere.) Ob situm civitatis hoc dicit.

Ariovistus.) Hic Germanorum rex fuit, testis est *Caesar* Lib. I. De bello Gallico.

Avito.) *Prisco*.

Teutonicas rexit caulas.) Casas Germanorum.

Superbam.) Nobilem, sic *VERGILIUS*:

Hinc populum late regem, belloque superbum.

Bello indomiti.) Libet verba *Senecae* de Germanis adscribere. Ille enim sic inquit de Ira Lib. I. Ger-

Semper, et in nudo nudos fudescere campo.

55

Hi patriæ fines, hi sunt quos continet arcus
Helvetia, et quas comprehendit vicinia gentes.
Praeterea caput Europes hanc esse probabunt,
Aeternis Alpes nivibus, juga Olympica, quorum
Porgitur in coelum caput, et sub tartara venter;
Et quod ad auroram, Borean, solémque cadentem
Flumina perpetuo non deficientia cursu

60

Parturit, illa volant, et in omnia membra redundant.

Ad Zephyrum et Libyen Rhodanus, Rhenana furentem

Unda citat Borean, gelidas rotat Ister ad Eurum

65

Dirus aquas, Getico novus hospes et advena Ponto.

Ast alios fileo, quos Italia accipit amnes

Alpibus à nostris, quaeque alto à vertice montes

Agmina disparibus fundunt latissima fulcis.

Ceu fluat Elysiis Gangeticus humor ab oris,

70

manis quid est animosus? quid ad incursum acrius?
quid armorum cupidus? quibus innascuntur, innu-
trianturque, quorum una illis cura est, in alia ne-
gligentibus. Quid induratus ad omnem patientiam?
ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum
provisa sunt, non suffragia adversus perpetem coeli
rigorem. Hos tamen Hispani, Gallique, et Asiae
Syriaeque molles bello viri, antequam legio visatur,
caedunt, ob nullam aliam rem opportunos, quam
ob iracundiam. Haecenus ille. Praeterea de Germa-
norum moribus *Pompo. Lib. III. Strabo Lib. VII.*
et *Cornel. Tac. de Germania.*

Hi patriæ.) Conclusio situs Helvetici.

Arcus.) Ambitus, circuitus.

Praeterea.) Indicaturus Helvetiam esse locum
totius Europae altissimum, duabus id rationibus facit.
Prior, quod Alpes aeditissimae rupes sunt in Europa,
autore Strabone. Altera, quod quatuor aut quinque
flumina Europae maxima oriuntur vel in Helvetia,
vel prope, et ad quatuor mundi plagas decurrunt.
Nempe Rhenus ad Boream. Danubius ad ortum.
Rhodanus ad Occidentem, quamvis apud Lugdu-
num ad Meridiem se flectat. Adhuc sunt, quae ex
Alpibus defluentia Italiam irrigant, de quibus mox
dicemus.

Caput.) Locum aeditissimum.

Aeternis Alpes nivibus.) Una ratio. Alpes de-
scribuntur ab *Herodiano* historico *Lib. II.* tum vero
Lib. VIII. his verbis: Hi sunt longissimi quidam
montes, vice murorum Italiae circumdati, adeo in
altum aediti, ut etiam nubes superare videantur, ita-
que in longum porrecti, ut universam Italiam com-
prehendant, leva ad Tyrrhenum pelagus, dextra ad
Jonium usque pertingentes, densis ubique nemori-
bus infessi, atque angustissimis callibus, et rupium
praerupta altitudine, scopulorumque asperitate vix
pervii, nonnullis tamen quasi semitis magno veterum
Italorum labore manufactis. Haec non potui non
adscribere, cum ob elegantiam verborum, tum quod
vix alium reperies, qui Alpium formam ita oculis
proponat. Nives habent perpetuas, unde nomen a
nivium candore sortitae dicuntur. *Ἄλφος* enim ma-
culam significat albam. Sunt tamen qui volunt in-
ditum vocabulum a Gallorum lingua, qui montes
altos vocitent Alpes.

Juga Olympi.) Id est tantae altitudinis, ut est
Olympus mons Thessaliae, de quo *Luca. Nubes*
excedit Olympus.

Porgitur.) Syncope.

Et sub tartara venter.) Hyperbole, hoc est su-
perlatio, secundum Ciceronem.

Et quod.) Ratio posterior.

Volant.) Volare habentium pennas est. Trans-
fertur ad ea, quae cum celeritate fiunt, ut hic,
volant, pro celeriter decurrunt.

Ad Zephyrum.) Indicat, uti quodque horum
fluminum ad suam tendat plagam. De Zephyro
diximus.

Libyen.) Ad Meridiem. Libya Aphricae regio
Aegypti contermina. *Plinius* testis *Lib. V.* Quam qui-
dam dictam volunt ab Epaphi filia, Libya vocata,
procreata quidem ex Cassiotha uxore. Alii a vento,
qui Libs appellatur.

Rhodanus.) Diximus supra, ab ortu longissimo
tractu hunc ad occidentem labi, tandem vero post
Lugdunum totum verti ad Meridiem.

Ister.) Danubius fluvius Germaniae maximus,
cujus originem et progressum hoc modo *Picus* de-
scripsit in *Σαυροςίχθω*:

*Hinc et Danubius non magnas devehit undas
Montibus Arbonae vix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit, nondum binomius, ingens
Alluit Elysiis, tandem rapto tumefactus aquarum
Euxinum ingreditur bis terno gurgite Pontum,
Extremumque caput limosa perdit in ulva.*

Ad Eurum.) Orientem.

Dirus.) Rapidus.

Getico.) Euxino. Danubius enim per Getas
in Pontum delabitur, sed tum Istri nomen accipit,
testis est *Strabo* in *VII.* De ostiis Autores non ad-
modum consentiunt. Nam *Cornel. Tac.* sex meati-
bus in mare Ponticum erumpere dicit, septimum
os hauriri paludibus. *De Germania. Mela* totidem,
quot Nilus, ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis na-
vigabilibus, *Lib. II.* *Strabo* septem, et ex autori-
tate *Ephori* quinque *Lib. VII. Ptolem. VI.* etc.

Ast alios fileo.) Ut Abduam, Ticinum, Athe-
sim, et nonnullos alios.

Agmina.) Flumina.

Sulcis.) Alueis.

Ceu fluat Elysiis.) Comparatio. Ut enim e
Paradiso fluunt quatuor flumina [ut proditur *II. Genes.*]
Ganges qui et Physon, Tigris, Eufrates, et Nilus,
qui etiam Geon nominatur: ita ex Helvetiorum
Alpi-

Tigris et Eufrates, et non bene cognita fonte
Unda papyriferi semoto ex aethere Nili.

Si vero Helvetiae quae sit natura requiris,
Conditio est duplex, terrae natura biformis.
Nanque ubi ad Italiam vergit, solemque calentem,
Montana est, sed enim ridenti fertilis arvo,
Fontibus irrigua, et florentibus optima pratis,
Lucis et sylvis, pecori gratissima tellus,
Phaeacum terras, Corcyrea gramina vincit,
Et longe positos alio sub sole Britannos.

75

Sed contra Borean, casumque ortumque astrorum
Plana jacet campis, foecundoque utilis agro;
Frumenti vinique ferax, et divite rure,

80

Alpibus in quatuor mundi plagas excurrunt quatuor
flumina maxima Europae.

Gangeticus humor.) Ipse Ganges Indorum fluvius. Quem incertis quidam fontibus nasci, et Nili modo exundare perhibent. Ita *Solinus Cap. LX. Strabo Lib. XV.* scribit ex *Artemidoro*, Gangem ex Haemodis montibus ad Austrum deferri, et cum ad Gangem urbem pervenerit, converti ad Auroram usque Palimbothra, atque in mare ingredi. *Mela Lib. III.* eandem originem tradit. In eo tantae longitudinis anguillas dicit esse *Solinus* ut ad tricenum pedum proceritatem accedant.

Tigris.) Tigris oritur in regione Armeniae Majoris, testante *Plin. Lib. IV.* fonte conspicuo in planicie. Nomen obtinet a velocitate currendi, nam Medi sic vocant sagittam. *Strabo de Tigride et Eufrate Lib. XI. et XVI.*

Eufrates.) Eufrates similiter Armeniae fluvius, Armeniae regiones a Cappadocia excludens, ut idem *Plinius* tradit. *Mela* originem ejus, atque cursum plane depingit *Lib. III.* *Ptolemeus* montem, unde is fluit, appellat Periarden. *Amnianus* quoque ejus mentionem facit *Lib. XXIII.*

Et non bene cognita fonte.) Supra diximus Nili originem antiquis fuisse incognitam. Verum id non mirum, cum et divinae scripturae veritas immanifesta ipsis extiterit, quae Nilum ex paradiso [ut dictum est] erumpere docet, cum aliis tribus fluminibus. Quorum quidem originem illi tradiderunt, prout invenerunt ea primum e terra prorupisse. Nobis itaque in his, sicut in aliis puto sacris documentis accedendum, quae mentiri haud noverunt.

Papyriferi.) Qui fert papyrus fruticem in palustribus Aegypti nascentem, aut quiescentibus Nili aquis, ex qua fiunt chartae *Plin. teste Lib. XIII.*

Si vero Helvetiae.) Naturam describit Helvetiae, duplicem eam esse demonstrans. Qua enim parte ad Italiam vergit, Alpes habet. In alias partibus fere plana est, producitque abunde quicquid humana vita exigit, productura tamen omnia felicius, si pro soli foecunditate coleretur.

Conditio.) Qualitas.

Vergit.) Tendit, porrigitur.

Solemque calentem.) Ad Meridiem.

Montana est, sed enim ridenti fertilis arvo.) Breviter adnotabimus, qualis sit Alpium natura apud nos [figuram nempe superius ex *Herodiano* retulimus] quo intelligatur, quid commodi liceat sperare ex reliquis partibus Helvetiae, cum tantus sit fructus ex montibus. Horum namque [ut hoc primo dicamus] hi perpetuis nivibus albicant. Illi procul aspicientibus nihil promittunt, nisi saxa durissima, postquam

inscenderis, prata pinguiissima offendis. Alii vero et aspectu sunt amoeni, et re ipsa. In iis inquam per aestatem menses treis ad summum pascuntur cum greges, tum vaccae, e quibus tanta emolumenta, ut brevi oratione nemo possit consequi. Nam serum inde, caseus, butyrum, aliaque lacticia tanta fiunt copia, ut non tam Helvetia iis rebus expleatur, quam finitimae quaeque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montem, in Italiam, multaue alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi possit. Illud mihi comperitum, ex viginti bobus fructum annum esse centum Coronatos, praeter sumptum omnem, quem in familiam, servos, et ancillas distribueris. Omitto foeturam copiosissimam, lac et liquidum et concretum, quaeque ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum usum. Hinc est, quod tantus populus, in tam angusto circulo enutritur, quod adeo pauci ex Helvetiis ad mendicitatem adiguntur, quod tanta exterorum turba sedes apud nos quaerit. Libet pene exclamare hodie cum *VERGILIO*:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
HELVETIOS.*

Sunt enim quos pecuniae nimia cupiditas tam agit transversos, ut hujusmodi bona non intelligant, ut tales opes prorsus vilipendant, quae tamen ut sunt et stabilissimae, et honestissimae, ita maxime Christianae, uti *Chrysostomus* docet. Sed haec pluribus forte.

Fontibus irrigua.) Unde patet Helvetiae foecunditas. Nam dicit *Strabo Lib. XII.* de patria sua: semper aquae copiam meliorem esse, quam siccitatem.

Corcyrea gramina.) Quae in Corcyra Insula Epiri crescunt, quam Phaeaces inhabitant. Respicit ad hortos Alcinoi notissimos, de quibus *Homerus Lib. VII. Odys.*

Alio sub sole.) Id est climate.

Britannos.) Hiberniam intelligit: De qua *Pomponius Lib. III.* scribit, tam esse luxuriosam herbis non laetis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta diffiliant. Idem pene *Solin. XXXI.* *Pomponius* eam Insulam Juverniam dicit, *Strabo Jernam Ἰεργυαν. Lib. IV.*

Jacet.) Helvetia.

Frumenti vinique ferax.) Ager Bernensis, Friburgensis, Salodorus, Heroega item, et Durgea frumento mire exuberant. Colles autem Scaphusiani, Bielenfes, et Thermopolitani vino. Apud Tigurum et Basileam utrumque non mediocriter crescit. Sunt alia insuper loca per Helvetiam, quibus neutrum deest, sed minor copia.

8 H. GLAREANI DESCRIPTIO HELVET.

Collibus apricis, quos pampinus ornat et uva.

Quid liquidos referam fontes, rivosque loquaces, 85
Muscososque amnes de viva rupe cadentes,
Caeruleos latices? o murmura grata colonis,
O requies, o lenimen praedulce laborum!

Num vestras laudes, summa et praeconia adaequat 90
Fando aliquis? docto non est ea lingua Maroni,
Nec tibi Homere caput, licet omnia uterque poeta
Attigerit, gremio quae vastus continet orbis.

Quatuor Helvetiae coepi connexere pagos;
At res obscura est, facit hoc longinqua vetustas, 95
Annorumque acies, aevique volubile tempus.
Sed sequar autores, et quae ratio ipsa docebit,

Utque illi scripsere, hodie quoque ita esse probemus.
Et Graeci πηγῶν, pagum fortasse Latini
Totius fluvii fulcos dixere propinquos,
Et villas juxta positas, vicosque casasque. 100

Non etenim credo pro vico dicere pagum,
Scripta monent aliud, testisque adducitur hostis,
Julius orbis apex, et tanti gloria belli,

Divite rure.) *Divite* neutro genere dixit, quemadmodum *Tibull.*

Divitis hoc vitium est ruris.

Apricis.) Soli expositis. *Hor. Multa mole docendus aprico parcere prato.* Homo apricus, et avis aprica, sole gaudentes.

Pampinus.) Vitis. Synecdoche.

Quid liquidos referam.) Fontium aquae et levis et optimae apud nos nusquam deest copia. Fluminibus abundamus, his navigabilibus, utpote Limago, Rusa, Arare, et Sana. Aliis navibus minus accommodis, ut Dura, Emmana, Rhodano, innumerisque talibus.

Liquidos.) Claros. *VERGILIUS:*

Et liquidis immisi fontibus aprum.

Loquaces.) Resonantes. Sic *Hor. de fonte Blandusiae: Unde loquaces Lymphae desiliunt tuae.*

Muscosos.) Obsitos musco. *VERGILIUS:*

Muscosi fontes, et somno mollior herba.

Viva.) Naturali. *VERGILIUS:*

Vivoque sedilia saxo Nympharum domus.

Caeruleos.) Caeruleus color species viridis, *Gellio* teste *Lib. II. Cap. 26.* Est autem caeruleus perpetuum aquae epitheton.

Latices.) Latex, [ut *Servius* inquit] aqua proprie est, ab eo, quod intra terrae venas lateat. Insuper autem et vinum laticem dicimus, quod lateat intra uvam. *Ovidius Latices Palladios*, pro oleo dixit.

O murmura.) Admiratio.

Lenimen.) Refocillatio. Unde *Hor. de laude vitae rusticae.*

*Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine,
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in sylvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.*

Num vestras laudes.) Q. d. minime. Negationem enim *num* in se habet, sicuti affirmationem *nome*.

Docto non est.) Scilicet ut vos pro meritis celebraret.

Nec tibi Homere caput.) Apostrophe.

Licet omnia.) Quid *Vergil.* quid *Homer.* scriptitarint, et quantam inde sint laudem meriti, vel sole clarius. De *Homero* nempe dicitur: Vatem esse doctrinarum omnium, atque ingeniorum autorem, et principem. De *Vergilio*: Tantum ipsum, ut laus ejus nullius commendatione crescat, nullius vituperatione minuat.

Gremio.) Ambitu.

Quatuor Helvetiae.) Helvetiam fuisse distractam in quatuor pagos, *Caesar* his verbis scribit *Com. I. Is pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis civitas Helvetiae in quatuor pagos divisa est.* Dubitatum est aliquamdiu, etiam a doctis viris, quid pagum *Caesar* diceret. Si respicis rationem nominis, ablata est dubitatio. Nam ἡ πηγῶν, et δωριῶν ἡ παραὸν fons est. Unde pagi sunt dicti, quod villae circa fontes confueverant condi, ut *Servius* inquit. Et pagani, quasi ex uno fonte potantes. Eadem itaque ratione *Pagum Caesar* fluminis tractum esse voluit cum accolis. Hoc enim pacto Helvetia distributa est quatuor his fluminibus, quae Poeta hic enarrat. Ea sunt prorsus in Helvetiorum ditone, et his quoque limitibus inclusi, quos *Caesar* constituit.

Connexere.) Ad carmennectere.

Acies.) Multitudo.

Sed sequar autores.) Non caput meum.

Et quae ratio.) Conjectura, quae rationibus utcunque fulcitur, haud rejicienda, cum multa sint apud veteres scriptores, quae secus nemo, quantumcunque doctus, possit adsequi.

Sulcos.) Tractus.

Dicere.) Quenquam subaudiendum.

Testisque adducitur.) Julium testem dictorum adhibet. Quem ob id hostem dicit, quod adversus Helvetios veteres bellum gesserit.

Orbis apex.) Affirmat *Sabellius*, plures in uno *Caesare* virtutes extitisse, quam in caeteris omnibus, quorum vitas *Tranquillus* scripsit. In eo consilium, eloquentia, vigor, constantia, militaris disciplinae omniumque altissimarum artium studium, et quod ad gratiam conciliandam plurimum valet, mira quaedam liberalitas. Apicem igitur orbis merito dixit Poeta.

Et tanti gloria belli.) Intellectio est.

Ille inquam Helvetiae bissenas innuit urbeis,
 Et quadringentos vicos, haec omnia rursus 105
 Quattuor in pagos, quae flumina quatuor, angit.
 Hos igitur nostro placuit conjungere plectro.
 Primus adest Duras, plaeraque in parte vadofus,
 Durus agris, pinosque, et summo littore fagos
 Evertens, caulasque trahens, et ovilia secum, 110
 (Terribilis lapsu) campos grassatur in omnes.
 Hic ager Helvetius, quem ne Germanus haberet
 Miles, et in Gallos rabiem exerceret avitam,
 Caesar in Helvetiam proprios remeare colonos
 Jussit, adhuc fluvii nomen terra illa reservat. 115
 Doggius huic propior, Cellae, Gallique beati
 Imperia, et propè ad Acronios celeberrima fluctus,
 Littoreque in nostro Rheni Constantia fulmen.
 Deinde paludofus splendenti Limagus unda,
 Hospes Aduleae Glareanaeque incola terrae, 120

Ille inquam.) Scribit in 1. *Commentar. Caesar.*
 Ubi se jam Helvetii ad expeditionem paraverint,
 oppida sua omnia numero ad duodecim, vicos ad
 quadringentos, reliquaque privata aedificia incendisse.

Angit.) Distribuit.

Plectro.) Carmini. Plectrum proprie instru-
 mentum est, quo fides pulsatur. *Martial.*

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exorment docilem garrula plectra byram.

Primus adest Duras.) Aperit primum Pagum,
 cum agri adiacentis bonitate. Hunc Duras facit,
 cujus quidem fluvii apud veteres nulla prorsus est
 mentio. Attamen nomen ipsum arguit aliquid anti-
 quitatis, et terrae nomen Durgew. Oritur in fini-
 bus Dioecesis Curienfis valle, quam sancti Joannis
 vocant, fluit per Doggios, et populum quem deno-
 minat Durgeum, in Rhenum exit circiter bis mille
 passus supra Eglisow oppidum ditionis Tigurinae.
 Ab hoc fluvio multa nomina derivantur, ut Durtal,
 Wintherthur, seu Winterdur, et quaedam alia.

Vadofus.) Habens multa vada. Vadum est a-
 quae fundus, in quo quisquis confiterit, is jam ef-
 fugit periculum ne mergatur. Hinc sumptum ada-
 gium: Res in vado est, pro eo quod est in tuto.

Durus.) Allusio ad nomen.

Caulasque.) Ovium casulas. *Vergilius:*

Cum fremit ad caulas ventos perpeffus et hymbres.

Grassatur.) Debacchatur, exit. Grassari dicun-
 tur latrones vias obsidentes, unde grassatores. Apud
Salustium gradi significat. *Animus ubi ad gloriam virtutis*
via grassatur.

Hic.) In Durgea. *Caesar in 1. Comment.* scri-
 bit: Helvetios a Caesare reverti in suos fines iustos,
 ea maxime ratione, quod noluerit eum locum, unde
 Helvetii discesserant, vacare, ne propter bonitatem
 agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e
 suis finibus in Helvetiorum fines transirent. De hoc
 agro dicit Poeta, esse in Durgea. Tametsi illud non
 semel ex eo audivimus, quanquam ita scripsit, sibi
 tamen videri Caesarem loquutum de agro Aventi-
 censi, et Moretensi. Id quod etiam *Falco* Consul
 Friburgensis hoc tempore, vir et doctus et elo-
 quens, me admonuit.

In Gallos.) Helvetios, qui vere Galli sunt,
 veteribus id autoribus indicantibus. Verum de hac
 re forte alias.

Rabiem avitam.) Furorem ex antiquo odio con-
 tractum.

Adhuc fluvii nomen.) Durgea nempe vocatur,
 a Dura, et *γῆς*, *as* terra. Hoc enim pacto Celtæ
 multa nomina componere solent, ut Herogea, Dur-
 gea, Algea, Brisacogea, Hegogea.

Doggius.) Doggios lingua nostra Doggenbur-
 ger appellamus, a Dogg, vocabulo Anglico, quo
 canis significatur. Ferunt enim Doggii canem in in-
 signibus. Non nescimus quid de hoc nomine re-
 ferat historia Suevica. Dein a quibusdam Tuconiam
 regiunculam ipsam nominatam. Sed quam apte vi-
 deant ipsi. Habent hi, a quo perpetuitati consecra-
 buntur *Uldricum Zinlium* hominem in utraque lingua
 doctissimum hac tempestate apud Tigurinos Evangeli-
 stam, et talem quidem, ut vere, quicquid *Politianus*
 ille politissimus in epistola quadam scribit de *Mariano*
Genacanensi, huic possis adscribere: Parcior sum in
 hoc homine commendando, cum quod mihi amicis-
 simus est, tum quod ingenium meum maximis ejus
 virtutibus plane obruitur.

Cellae.) sc. Abbatis. Sunt quibus magis arri-
 det, ut dicatur Alpium cella, quam Abbatis cella.

Littoreque in nostro.) Id est Helvetico.

Deinde.) Exponit secundum pagum, quem
 Limagus conficit fluvius, cujus quoque mentionem
 non facile apud antiquos scriptores reperies. Hodie
 tamen nomen satis integrum est. Compositum nam-
 que dicitur ad imitationem Celticae linguae, quae
 frequenter nomina in magus connectit, ut Rhotoma-
 gus, Naemagus, et caetera. Illud sane adnotan-
 dum apud Glareanos oriri, et vocari Linthum.
 Deinde lacum Vesenum effundere amnem, cui no-
 men Magus. Atque postquam confluerunt hi duo
 fluvii Limagum vocitari, intrare autem posteaquam
 ab origine circiter decem millia passuum Glareanam
 rigaverit in lacum Tigurinum, huncque pertransire
 ad medium usque urbis, post haec autem cursu ad
 XCVI. stadiorum confecto in Ararim primum,
 brevissimo post spacio in Rhenum influere.

Hospes.) Appositio.

Aduleae.) Adulas mons a *Ptolem. Lib. II.* po-
 nitur incumbens et Helvetiis, et Rhetis. Hodie *Etsel*
 dici putant aliqui. In quo nominis adhuc videtur
 aliquod vestigium esse. Nam Latina lingua haud
 dubie principio Adul dicere docuit, dein Germanica
 fecit ex Adul *Etsel*, postea abusus *Etsel*. Sic me-
 mini me olim audisse ex *Glareano*. Sunt quibus pla-
 cet Adulam esse, qui nunc *Arlenberg* dicitur.

Auctus abit, semperque cavis aptissimus alnis,
Voluitur in gyros, et lenta volumina torquet.

Huic est ad levam, quo vix est sanctior usquam
Orbe locus, frondens Mariae genitricis Eremus.

Vix alibi invenies tam mitia numina Divae,
Propitiumque Deum, et praesentes virginis aras. 125

Belliger has validis cognoscit Suaevus in armis,
Contentusque suis, aptusque ad bella Sicamber,

Quique sub arctoo pressatur Sarmata plaustro
Attingens Borean rigidissima littora Ponti. 130

Tum ne sit pelagus, ne lentis sordeat undis,
Explicat os patulum, Tigurinamque abluit urbem,

Thermopolimque adiens, ad olentes sulphure terras,
Arentesque locos, Epicurea moenia lambit.

Hic stygio à flatu, mediâque voragine terrae,
Aspice sanantes undas, laticesque salubres, 135

Qui tibi (ni nolis) languentia membra levabunt.
Utilia haec utero, praesentia balnea semper

Semperque cavis aptissimus alnis.) Id est semper navigabilis est.

Voluitur in gyros.) Flexuosus est.

Huic est ad levam.) Divae virginis Eremitanae locum significat. Qui quam sit sacer, arguit per facile, quod Christo consecratus fertur episcopo. Posteaquam enim ubi divi *Meradi* casula fuit, sacellum est extractum, *Sanctus Conradus* Praeful tunc temporis Constantiensis, vir omni genere virtutis florens, accitus confestim ad ipsum consecrandum advenit. Media autem nocte, dum preces Deo pro consuetudine funderet, audivit cum aliis devotis viris melos et dulce, et novum. Atque diligentius perscrutanti, tale animadversum ab angelis, Christo praesente, decantari, quo episcopis vel hodie mos est uti in templorum dedicatione. Prima statim luce rem auditam divulgat. Verum, qui rei fidem temere praestare nolebant, Conradum sunt adhortati, ut, quod iustus erat, conficeret. Postquam igitur incoepit, vox continuo ter audita, Desine frater, coelitus consecratum est. Ex illo itaque, quod res erat, creditum. Deinde a summis Pontificibus, aliisque confirmatum, quorum testimonia in sacratissimo illo loco hodie conservantur.

Frondens.) Habet enim hodie prata pinguisima.

Praesentes.) Quae citius succurrunt.

Suaevus.) Belligerum Suaevum dicit *Caesarem* fecutus, qui eam gentem longe maximam, et bellicosissimam Germanorum omnium scribit *Lib. IV.* Et *Strabo* potentia dicit, et hominum frequentia reliquos antecellere.

Aptusque ad bella Sicamber.) *Horatius* quoque Sicambros feroces appellat, *Lib. IV.* Carminum, *Ode II.* Populi sunt Germaniae transrhenani, hodie *Weschovalos* dicunt.

Sarmata.) Polonum dicit, qui bonam Sarmatae partem hodie possidet. Mira de his populis apud scriptores commemorantur. Lege *Strabon. Lib. VII.* et *XI. Melam Lib. III.* Sarmatas *Plin. Lib. IV.* scribit Sauromatas a Graecis vocari.

Rigidissima.) Frigidissima.

Tum ne sit pelagus.) sc. limagus cum lacu. Id est autem, ne sit lacus continuus sine exitu.

Lentis.) Stantibus.

Explicat.) Aperit.

Os.) Ostium.

Abluit.) Perluit.

Thermopolimque.) Baden sc. Helvetiorum. Sunt enim quas Thermas dicimus inferiores, a quibus Marchiones Badenses cognomentum sumunt.

Olentes sulphure.) Aquae enim quae hoc loco proveniunt, sulphuratae sunt.

Arentesque.) Calidos.

Epicurea moenia.) Voluptatis plena. Secundum quosdam enim Epicurus summum bonum in voluptate corporis constituit. Sunt tamen, qui ex proba ejus vita non corporis, sed animi voluptatem ipsum significasse contendunt. Quod Poeta dicit, non ad oppidum referendum, sed Thermas, quae ab oppido distant ad trecentos passus. Hae namque tales sunt, ut *Pogius Florentinus* putet, si voluptas vitam beatam queat efficere, nihil iis omnino deesse ad consummatam voluptatem. Ejus epistolam lege, si lubet, ad *Nicolaum* quendam. In qua et situm balneorum, lavantium mores, voluptatem, ludos, jocos, et aquae virtutem abunde invenies.

Lambit.) Circundat. *Perf.*

*Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces.*

Stygio.) Tanquam ab inferis venientes.

Mediaque voragine.) E medio terrae. Intra nanque terrae meatus tales aquae sunt. Hae cur sint calidae, *Pontanus* his verbis scribit.

*Bajano sed ne fumare in litore Thermas
Mirere, aut liquidis fluitare incendia venis,
Vulcani fora sulfureis incensa caninis
Ipsa monent, late multum tellure sub ima
Debacchari ignem, camposque exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
Unda fugax, tectis fervent et balnea flammis.*

Languentia.) Aegrotantia, infirma.

Utero.) sc. Foeminarum. Haec enim singularis est hujus aquae virtus, et prope divina, quod sterilitati mulierum medetur. Foecundas autem foecundiores, et prolis multiplicatione enervatas reddit fortiores.

Praesentia.) Cito juvantia. Illud nempe praesens dicitur, quod quia non abest, cito operatur vel bonum, vel malum. Inde numina dicuntur praesentia, ut superius, quod cito juvent; et venena, quod cito necent.

Ad quemcunque velis, in quovis corpore, morbum.

Mitis aqua, et nostris non importuna periclis, 140

Campanum superans stagnum, putresque liquores,
Bajanumque amnem, et Cydni felicior unda.

Sunt et qui fluvium dicant hunc esse Lemannum,

Unde suum teneat pugnax Alemania nomen.

Tertius horrendo, crepitantique agmine Rufa 145

Gotthica stagna trahens, atque Hunnas barbarus undas,

Inde Lucernanis Tuginisque amnibus ingens

Labitur in patrios, quos nunquam contigit, ortus.

Ultimus est Araris, quem num natura aliorsum 150

Flexerit, an fluviis nomen commune duobus,

Vertitur in dubium, seu sint bene cognita priscis

Ostia, non etiam fontes, undaeque sequentes.

Sed mitto hoc aliis, alias laturus in horas

Judicium auctorum, fatis haec dixisse fatendum.

Hic ut in Helvetia est, Rhodano contrarius exit 155

Thunum it, et Arctopolim, fatis felicibus ortam

Auspiciisque Deum, et plura in se flumina captat.

Oppida multa ambit, Salodoria regna peragrat,

Ad quemcunque.) Plurimum enim conferunt [prius Medico consulto] stomachicis. Profunt cerebro, visui, et auditui plurimum, imo totius capitis dolores mitigant. Epati conducunt, et spleni. Ilium dolorem tollunt, et renum lassitudinem restitunt. Hujusmodi virtutes sexcentas habent, quas prudentes jam praeterimus.

Non importuna.) Salubris.

Campanum superans stagnum.) Id est. Balnea, quae sunt permulta in Campania, plaga [ut *Florus* scribit *Epito. I.*] pulcherrima totius orbis. Hic sunt tepentes fontibus Bajae, et ad sanandos morbos, et ad voluptatem commodissimae. A regionis feracitate sumptum Adagium, quo dici solet: Plus apud Campanos unguenti, quam apud caeteros olei fieri. *Plin. Lib. XVIII. et III.* praeclare de Campania scribit.

Putresque liquores.) Balnea Puteolana. Allusit ad nomen, a putore enim secundum aliquos aquarum Puteolos urbem dictam volunt, alii vero a puteorum frequentia. Author *Strabo Lib. V.*

Bajanumque amnem.) Balnea quae Bajae dicuntur. *Seneca* eum locum devitandum monet, quod habeat quasdam naturales dotes, quibus illum sibi celebrandum luxuria sumpserit. De Baiis *Strabo Lib. V.*

Et Cydni felicior.) Cydnus amnis Ciliciae podagricis medetur, ut *Plin. Lib. XXXI.* Idem asserit *Vitruvius Lib. VIII.* De Cydno alioqui et *Solinus Cap. 47. et Curtius Lib. IV.*

Sunt et qui.) Opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.

Tertius horrendo.) A Rufa flumine tertius conficitur pagus. Id ex monte, quem Furcam appellant, oritur, fluit per loca confragosa, donec non procul a Vetere pago [ita pagus primus apud Uros nuncupatur] in lacum Lucernanum ingreditur, hunc transit ad civitatem usque, quam interfecans denuo erumpit. In multos dein circumductus gyros, Rhenum intrat non multo infra Brugem oppidulum Herogeae.

Crepitantique.) Murmuranti. Ob id nomen factitium Rufa a vulgo obtinuit.

Gotthica.) Suica. Est enim lacus parvus apud Suicos exiens in lacum Lucernanum.

Hunnas.) i. e. Uriorum. Suici enim a Gotthis, Urii ab Hunnis descendunt.

Inde Lucernanis.) Emmana fluvius in Rufam influit a Lucerna ad quadringentos passus. Lacus vero Tuginus exitum in ipsum habet circa vallem, quam Mariae dicunt.

Labitur in.) Hoc est, fluit ad Septentrionem, unde venerunt Hunni, et Gotthi, a quibus [ut modo dictum] Urii, et Suici originem ducunt.

Ultimus est Araris.) Araris noster ex montibus erumpit, unde fluit Rhodanus, per lacum *Haslensem* [quem Auellanum dicere posses] et Thuninum labitur. Venit Arctopolim, quam totam pene concludit. Salodorum adluit. Cursu longissimo deinde confecto Rheno commiscetur cum Limago, et Rufa. Is quartum pagum conficit. Ubi illud adscribendum, nihil hic accipi de Arari, quem Saonam putant dictum, nam neque origo, neque cursus conveniunt, quamvis Poeta se dubitare dicat, anne cursum Arar mutaverit, an duo flumina idem nomen obtineant. Vel si prisci cognoverint fluminis exitum, non etiam fontes. Verum utcunque res habeat, doctis committit.

Aliorsum.) Puta ad Septentrionem, cum omnes uno ore dicant, ad Meridiem tendere.

Nomen commune duobus.) Id quod Poeta sentit, *Ostia.*) Fluvii exitus.

Undaeque sequentes.) Id est tractum aquae post fontes.

Ut in Helvetia.) Non quemadmodum auctores descripserunt, ut *Ptolem. Lib. II. Strabo Lib. IV.*

Rhodano contrarius.) Nam ad Boream, cum ad Austrum vergat Rhodanus.

Thunum.) Ad hoc oppidum ditionis Bernanae.

Ortam.) Conditam.

Auspiciis.) Bona fortuna, feliciter.

Flumina.) Ut Sanam fluvium Friburgensium.

Salodoria.) Salodorum, non Solidurnium, recte dicimus. Hinc Salodorus deflexit Autor. Invenit nanque apud eam civitatem in lapide antiquissimo Salodorum, sic nimirum appellatum, quasi salis donum. *ἄλς* nempe sal, aspiratione in *ς* mutata, et *δῶρον* donum significat. Inde est, quod penultimam producit per. *ω*. enim Graecis scribitur.

Regna sub Habramo, tam fausto sydere nata.
Pars haec Helvetiae fluvii cognomina servat, 160
Heroum tellus, et adunci vulturis arces.

Quattuor hi pagi, quos à regione Notorum
Impetus in Borean torfit, Rhenoque remisit.
Ante tamen liquidosque lacus, sterilesque paludes,
Et stagna alta creant, plus quattuor inclytus auget 165
Limagus, et nautis portus, et piscibus antra,
Treis Araris, Rusa et totidem, sed trusus arenis
In circum Duras, immensa cataclyta fundit,
Omnia piscinis, non omnia navibus apta.

Haec pater omnipotens, dum magnum conderet orbem, 170
Disposuit prudens, ne totum forte per aevum
Staret inane Chaos, penitusque illunis Abyssus,
Bella elementorum, et fera praelia voce diremit,
Aethereasque Alpes, juga summo proxima coelo,
Esse caput jubet Europes, subsidere membra 175
Laeta, quod in faciem fluvios habuere receptos.

Sub Habramo.) Antiquissimum enim esse constat, nam exceptis Trevisis nulla urbs vel Galliae, vel Germaniae antiquior. In *Habramo* Synaeresis est.

Nata.) Extructa, condita.

Pars haec Helvetiae cognomina servat.) Nam terra adjacens vocatur Argea, a nobis *Argev*. Nonnulla etiam oppida inde appellationem fortiuntur, ut vulgari lingua proferimus Arow, Arburg.

Heroum tellus.) Interpretatio ejus, quod nos dicimus Herogea. Multi enim sunt, qui existimant Heroum tellurem Hergew vocitatam propter Duces, comites, barones, et nobiles absque numero, qui eam terram inhabitaverunt.

Et adunci vulturis.) Vulturem ponit pro accipitre. Significat enim arcem cui vulgo nomen *Habsburg*.

Quattuor hi pagi.) Enumerat lacus et paludes proximas dictis quattuor fluminibus, non quod ab his illae omnes adimpleantur, sed quia sint prope, et rivis interdum convenient. Recensuimus nos superius omnes lacus, per quos ea flumina transcurrunt.

Quos a regione.) Id est: quos cursus a Meridiei parte ad Septentrionem compulit. Nam Rheno admiscuntur, ut dictum est, qui ad Septentrionem defertur.

Ante tamen.) sc. quam Rheno copulantur.

Sterilesque paludes.) Ita *Hor.* in *Poetica*.

Regis opus sterilisque diu palus, aptaque remis.

Plus quattuor.) Nam quinque Vesenium, Cleonium, Tigurinum, Phaebinium, et Gryphensem.

Antra.) Domicilia.

Treis Araris.) Neapolitanum, Thunensem, et Bielsensem.

Rusa et totidem.) Lucernanum, Lucanum, et Tuginum.

Cataclyta.) Loca concava ab aqua cadente. *Ambrosius*: Nilus fluvius maximus eo loci, ubi se ex altissimis montibus in cataclyta illa praecipitat, magnitudine fragoris sui aures accolarum obstruit.

Piscinis.) Locis, ubi pisces conservantur. *Gellius Lib. II.* Lacus vero, et stagna, quae piscibus vivis coercentur clausa, suo atque proprio nomine piscinas nominaverunt.

Haec pater omnipotens.) Deum ita patriae situm disposuisse ait ab initio, dum crearet mundum, ne perpetuo Chaos maneret.

Inane Chaos.) Imitatio est, non mens vera Poetae. *Vergil.* enim in *Syleno*, et *Ovid. Lib. I. transfor. Hesiodum* sequentes dicunt, chaum i. e. rudis, inordinataeque materiae confusam [ut inquit *Lactan. Lib. I.*] congeriem principium omnium fuisse rerum.

Penitusque.) Hoc est, ne abyssus i. e. informis et subjacens materia, quae Graecis *ύλη* et *χάος* dicitur, permaneret absque luce. Alioqui Abyssum volunt esse immensam quandam aquae profunditatem.

Bella elementorum.) Quattuor qualitates, quae inter se sunt contrariae.

Voce.) Verbo, quia dixit et facta sunt. *Vergilii* verba sunt ex quinto *Aeneid.* aptissime detorta. Nam uti Aeneas verbo distraxit Dareta et Entellum, ita Deus elementorum confusionem.

Membra.) Alias partes Europae. Manet in Metaphora, quia dixit: Esse caput jubet Europes.

Laeta quod.) i. e. membra haec ob hanc causam laeta sunt, quod fluvios ab eo capite, quae est Helvetia, in suam accipiunt superficiem.

Faciem.) Facies omnis cujusque rei forma est. *Vergil.*

- - - Quibus aspera quondam
Visa maris facies

PANEGYRICON.

HAec facies patriae est, plectro majore sonandum,
 Si populum aggrediar mores studiumque recensens,
 Atque tot excultas urbes, tot et oppida muris.
 Quin potius cedam, casurus fasce sub isto,
 Pondereque immenso, nostris haec ardua moles 5
 Viribus est impar; en nostrae taedia Musae,
 En lyra blanda fides, et consona plectra reponit.
 Vix tamen exoro, bisseñas pangeret urbeis,
 Helvetiae insignis, terraque ac aethere notas
 Metropoleis, quibus una fides eademque voluntas. 10

COMMENTARIUS.

Haec facies patriae.) Sequitur Panegyricum, id est carmen laudativum tredecim partium Helvetiae, in quas totum imperium nostrum est divisum. Harum est administratio, et cura totius regionis, praefertim, cum aliquid evenit, quod ad universam Helvetiam pertinet. Alioqui enim singulae suas civitates gubernant. Poeta bisseñas dicit hac de causa, quod Abbatis cellam addidit, postquam et ipsa est adjecta numero capitum Helvetiae. Apponit dein quaedam de sociis Helvetiorum, et Helvetiae laudes. Postremo perorat cum admonitione. In hac autem descriptione licet ingenium Poetae cognoscere. Qui tamen si bellicae gloriae singulas communitates [uti appellant] facit participes, tamen hoc agit, ut singulari commendatione in hoc ipso unamquamque celebret.

Mores studiumque.) Verissime dicit. Nam si vitam majorum vellet, exercitiumque describere, opus esset et longiore oratione, et stilo sublimiore. Quamvis non clam me sit, multis videri longe aliter, iis praecipue, quorum malevolentia vel libris contra Helvetiorum mores contestata est. Sed ad manum habes, quo ipsos negligas, cum quicquid calumniantur cogitas invidiam dictasse. Quae pestis teterrima consuevit [ut *Erasmus* noster inquit] pulcherrimorum facinorum esse comes, eximiamque virtutem non aliter, quam umbra corpus, adsequi. Statim enim ut Helvetiorum gloria coepit ad crescere, impulsus, nescio quibus furiis, libellos ediderunt plenos indignis conviciis, atque obscenis nominibus, a quibus doctum abhorrere summe conveniebat, nedum Christianum, imo Christi sacris initiatum. Palam igitur est, nihil ejusmodi probris inesse veri, habet enim hanc virtutem veritas, ut os invidum quam longissime fugiat. Quod si hi viri doctrinam suam [ut sunt doctissimi] ad alias res, quam ad contumelias adhibuissent, nihil dubito, quin magnam laudem essent adepti, cum hoc modo nihil sibi pepererint, nisi aemulationis exprobrationem.

Fasce.) Onere. *Vergil.*

Ego hoc te fasce levabo.

Moles.) Materia difficilis.

Viribus.) Ingenii.

Taedia.) Ob rei magnitudinem.

Fides.) Chordas. Alioqui citharae genus est fides, inquit *Festus*.

Exoro.) Scilicet Musam.

Pangeret.) Caneret, componeret. Ita *Gellius* Lib. XIII. Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis.

Urbeis.) Capita Helvetiae, seu partes. Barbarae Cantones appellantur.

Quibus una fides.) Concordia Helvetiis sine dubio et imperium auxit, et rem universam. Haec nanque talis fuit, ut vere dicere licuerit id, quod apud *Homer.* Nestor de se, deque *Ulyssé*.

Haud unquam neque concio nos, neque curia dictis

Audivit pugnare, animo sed semper eodem,

Et sentire eadem, atque eadem discernere vidit.

Verum pecunia discordiarum fons, et nescio quae inanis gloriae aemulatio animos eorum annis superioribus ita distraxerant, ut nonnihil timerent de concordia esse actum, nisi malum aliquod ingens interveniat. In primis tamen diffidio flagrarunt apud Mediolanum, dum ibi exercitu non mediocri consisterent adversus Franciscum regem Franciae. Quo quidem de pace cum Helvetiis agitante, quidam recipiebant, quidam recusabant. Fecit haec dissensio, ut illi cum majore exercitus parte [quae continebat ultra quindecim millia militum] discederent. Interim reliqui profectionem istam plane ignorantes absque ratione, absque exercitus hostilis exploratione, sine ordine, Ducibus ferme nullis praesentibus, fossis altissimis quam maxima difficultate superatis, sole jam demerso, hostem invadunt, caedunt, in fugam pellunt. Et si nox praelium non diremisset, jam hostis quantuscunque erat [excedebat enim numerum cum milite Germano, qui multus aderat, centum millium hominum] periisset totus. Castra hostilia per integram noctem Helvetii tuebantur, et quod famae exercitum invaserat, suadebant partim, ut Mediolanum repetatur, partim ut maneat adusque Auroram, quo intelligant, quid hostis denuo sit tenturus. Hoc modo iterum discordia. Interim autem, quod Helvetii tormenta capta, atque in fossas conjecta profundissimas post se reliquerant longissimo spacio, ea recipiebant hostes cum Venetis, qui eadem nocte ad hos numeroso exercitu advenerant, idque licebat impune. Adveniente autem luce corpore sic male affecto rursus hostem aggrediuntur tanto impetu, ut neque de acie instruenda, neque de bombardis adversariorum esset aliqua ratio, donec senserunt se medios inter has consistere. Tum repente tantus fragor, tanta tonitrua, tantae strages, ut terrore omnibus correptis pedem Helvetii referre cogerentur. Quis enim hominum huic tam nefando machinamento repugnaret, cui vel montes cedunt? Res miseranda, cum sua ipsius culpa tam ingens quis periculum incurrit. Caeterum qualis illa victoria fuerit, manifestum facere videntur, quod Gallus victor pacem a victis tam incredibili pecunia [nam septies

Audiit, et mitis nec dedignata precantem,
Composito vultu tales dat pectore voces.

Vellem equidem, quae sum parvi tua Musa Poëtae,
Dignius ordire, possemque sonare potentem
Sermonem, qui sit rebus bene congruus istis. 15
Audendum est, veniant bisfenae hoc ordine partes
In numerum, qui cuique placet, vix ipsa recusō.

Salve belligerae celeberrima gloria gentis
O Tigurum, urbs orbi, et pando notissima coelo,
Cui pro nominibus, meritisque et fortibus actis, 20
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te mediam scindit viventi Limagus unda,
Et super incumbit squamosis piscibus ingens
Amne lacus, vitreoque relucent gurgite ripae.
Nubiferas turres, quid tam sublimia fronte 25
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas
Commemorem? fora quid dicam? quid templa recenseam,
Atria Coelicolis, et dignas regibus aulas?
Urbs coelo, et superum Rectori chara supremo.

Accede o memoranda meis Urfina propago 30
Carminibus, gens Andino bene digna cothurno,

ties centum millibus Coronatis nummis] efflagitavit. Deinde quod Luganum, et Locarne munitissimae arces Ducatus Mediolanensis, quas nostri bello Papiensi occuparunt; Vallis item Velina [quam *Sabellicus* Tellinam dicit] superata eodem bello a Rhetis, adhuc ditionis sunt Helveticae. Mihi nanque sic persuadeo, si victoria tam esset insignis, quam illi praedicant, nihil harum rerum debere admitti. Sed haec haec tenus. Non enim ob aliam causam adscripsimus, nisi quo Helvetios admoneam, ut confyderent, quid concordia sibi, quid item discordia [a qua sola victi sunt] adtulerit. Deinceps vero caveant, ne tantum malum unquam ad se admittant. Id quod tum fiet, cum ejus fomitem pecuniam, imo nimiam pecuniae cupiditatem quam longissime propulsabunt.

Audiit.) sc. Musa.

Vellem equidem.) Musae verba sunt, ideo inducta, ut Poeta liberius loqui possit.

Potentem sermonem.) Imitatio *Homer.* Inquit enim *Iliad.* A. κρατερόν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε.

Audendum est.) Proverbium, admonens fortiter periclitandam esse fortunam.

Ordine.) Ordo is est partium Helvetici foederis, ut hodie legatos mittunt, et insignia pingunt. Nam ut libertatis vindices alium sequuntur.

Salve.) Initium commendationis sumit a Tiguro urbe, quae primas partes inter Helvetios obtinet. Hodie Thurregium, seu Duregum appellant inepitius. De conditoribus ejus, quod varia traduntur, libenter tacemus. Urbs est vetustissima, situ admodum amoeno. Jacet inter duos monticulos, illo vitifero, altero faciem praebente sylvestribus plenam arboribus. Aedificiis pollet, templis, monasteriis, moenibus, et fossatis. Superne lacus incumbit limpidissimus, longus circiter XII. millia passuum. Is urbem dissecans in medio Limagum, quem recepit pene apud Glareanos, effundit. Sternitur pontibus duobus, qui urbem dissectam denuo conjungunt. Populosa est. Senatum habet prudentissimum. Ingenia vero multo clarissima. In qui-

bus illud non tepide commendandum puto, quod uti bonas literas amplectuntur, ita sophisticam inter necino persequuntur odio, ceu a natura edocti, quantum in ea mali conditum lateat. Neque tamen hoc sanctissimo odio Tigurini solum, sed etiam alii per Helvetiam adulescentes feruntur, quibus *Minerva*, non *Bellona* adplaudit, qui et multi sunt. Inter Tigurinos autem facile primi, *Jacobus Ammanus* ingenii ita festivi, sermonis tam puri et elegantis, ut nihil supra, et *Conradus Grebelius*, cui et Musae favent non mediocriter. Illi procul dubio suam Helvetiam olim tam illustrabunt, quam ipsi hodie ab hac illustrantur. Nos ad rem redeamus. Tigurinorum meminit *Caesar in I. Strabo in VII. et Flor. epito. LXV. Belligerae celeberrima gloria.*) Periphrasis Helvetiorum.

Nulla sat.) Res domi forisque Tigurinorum gestae tantae sunt, tamque eximiae, ut brevibus numerari haud queant. Quas Lector si scires, videres Poetam nostrum hoc loco nihil minus egisse quam Poetam, quorum hominum est, pro tempore res supra meritum extollere.

Viventi.) Fluenti. Nullum vitae certius signum [inquit *Erasmus*] quam motus, unde flumina quoque dicimus viventia.

Vitreoque.) Claro, liquido.

Gurgite.) Tapinosi.

Quid ablotas.) Mundicies vicorum in civitatibus et amoena est, et salubris.

Recenseam.) Synaeresis.

Urbs coelo.) Commendatio a religione. Nam Deus non diligit, nisi se diligentes.

Accede.) Berna, seu mavis *Arctopolis* [nam *Ursus* illi nomen indidit] urbium Helveticarum potentissima propter latam jurisdictionem, sex enim et viginti habet extra muros judicia. Conditam ferunt a Bertoldo Duce Zeringo. In locum est porrecta juxta tumulum, cui est imposita, ab Arari nostro ferme tota concluditur, tanquam a fossa profundissima. Aedificia habet mirabiliter extracta, nam licet tutum circuire sub porticibus cameratis totam ferme urbem

Moeoniaque lyra, et Phoebi laudanda Camoenis.
 Urbs actis prudens, urbs tot regnata per annos,
 Tot populis, tot castellis, tot et arcibus altis.
 Uni qui nobis cunctando restituant rem. 35
 Hanc Araris praeceps, Rhodanoque fugacior amnis
 In circum lambit, scopuloque immurmurat unda.
 Aspice Daedalius circos, Rhodiasque columnas,
 Et Labyrinthaeum rutilis vicinius astris
 Templum horrendum ingens, non illud Mausolaeum, 40
 Sed neque Pyramides, Memphitica marmora, vincent.

DEinde est magnanimū piscosa Lucerna virorum,
 Prima salus nostri imperii, miserata labores
 Suiciae et Urorum, trepidantisque agmina Sylvae.

urbem etiam pluviolosissimo tempore. Templum ornatissimum. Monasteria autem notiora, quam ut opus sit multa de his adnotare. Viros alit robustos, laboriosos, bello et paci accommodatissimos.

Andino.) Vergiliano. Is enim Andinus vates dicitur a pago Andes, ubi natus perhibetur. Non longe distat a Mantua, ut *Donat.* inquit in *vita Vergilii.*

Moeoniaque lyra.) Carmine Homero. *Martial.* sic. *Perlege Moeonio cantatas carmine ranas.*

Phoebi.) Apollinis, cujus epitheton Phoebus est peculiare, nam purum significat.

Urbs actis prudens.) Laus a prudentia, sine qua virtute nemo quicquam probe agit. Quare merito dicitur reliquis virtutibus quasi lumen praeferre, atque demonstrare viam.

Urbs tot regnata per annos.) Innuit urbis aetatem. Ferunt autem fundamenta ejus jacta Anno salutis nostrae M. C. XCI. mense Majo, Henrico sexto imperatore.

Uni qui nobis.) Ennii versus ad rem Poetae deflexus. Intelligitur autem de bello Loupeni, quod quidem dum Bernenses libenter avertissent sine sanguine, adversarii [hi erant Comites, et nobilitas omnis circumquaque posita, Friburgenses item, et Ludovicus Dux Bavariae, qui titulum jactabat regis Romani,] proverbium vulgare: *Bist du von Bern, so demütigst dich gern*, in eos jecerunt magno cum ludibrio. Ipsi autem interim, quod de rebus suis pene desperaverant, precibus advocant Urios, Suicos, et Sylvanos. Adveniunt quoque Sebedalii, Leucogri, et Avellani. Atque opportunitate data ruunt in hostem, caedunt, premuntque donec victoria sunt potiti. Anno M. CCC. XXXVIII.

Rhodanoque fuga.) Oppositum Autores dicunt. Sed de nostro Arari non sentiunt.

Daedalius.) Artificiosus. Vide apud *Ovid.* de *Daedalo* multa, *Lib. VIII. Meta.*

Rhodiasque columnas.) Id est moles tales, qualis erat Colossus solis in Rhodo inter septem orbis miracula habitus. De quo *Plin. Lib. XXXIV.*

Labyrinthaeum.) Id est tam mire effigiatum, ut labyrinthus credi possit.

Horrendum.) Venerandum. *Vergil. in VII.*

Horrendum sylvis, et religione parentum.

Mausolaeum.) Mausoli sepulchrum, quod condidit Artemisia uxor, postquam regem oppetiisse cognovit. Opus id, ut esset inter septem miracula, ejusdem artifices fecere. Teste *Plin. Lib. XXXVI.* Versus est spondaicus.

Pyramides.) Pyramides moles sunt maximae ita constructae, ut e lato in acutum tendant. De

quibus quae sint erectae, *Plin.* ita scribit *Lib. XXXVI.* Dicantur obiter Pyramides in eadem Aegypto regum pecuniae ociosa, ac stulta ostentatio, quippe faciendi eas causa a plerisque traditur, ne pecuniam successoribus, aut aemulis insidiantibus praeberent, aut ne plebs esset ociosa. *Joachimus* meus parum ab his differre existimat turres, quas templis tantis quandoque sumptibus Christiani adnectunt.

Memphitica marmora.) Regibus apud Memphim, quae regia quondam fuit Aegyptiorum, urbs magna et populosa, erigebantur Pyramides maximae. Vide *Diodod. Sicul. Lib. II.*

Deinde est.) Lucerna [cui nomen est a luce quondam visa, antequam oppidum foret extractum, eo loci, ubi hodie collegium est canonicorum] situm obtinet planum collibus a tergo circumseptum, et sinistra. Ab his moenia sustinentur, et turres altissimae. Frontem amplectitur lacus, dextram fossae aquosae cum planicie latissima. Prospectant hae duae partes montes tam altos, ut nubes videantur tangere. Lacus Rufam fluvium initio statim oppidi fundit, a quo ipsum oppidum scinditur medium. Pontibus tribus, et longitudine, et quod undique tectae sunt, conspicuis mirifice adornatur. Ex his longissimus ad superius Collegium ducentos pene passus extenditur. Unus porro nudus oppidum quam brevissime necit. Viros edit animi magnitudine praestantes. Ingenia vero hujusmodi, ut quorum poeniteret nunquam, si nihil a natura sua degenerarent. Satis est vel unus *Xylotechus* meus ad indicandum, verum esse, quod dicimus. Homo est ut humanissimus, ita doctissimus. Mihi autem tali necessitudine conjunctus, ut, quem ei in hac re praeferam, habeam neminem. Hinc est, quod neque ingenii vim, neque alias ejus virtutes commendare audeo, ne quis forte objiciat, Amor coecus. Illud tamen non possum tacere: Hunc esse, qui vel solus queat non tam Lucernam, quam totam Helvetiam suo ingenio facere illustrem.

Piscosa.) Propter lacum.

Prima salus.) Hoc ideo dictum, quod Lucernani primi fuere, qui isto foedere cum tribus pagis, ipsis opem tulerunt contra impetum Ducum Austriae. Quae autem id fecerint, causa fuit, quod male defendebantur a nobilitate ipsis praefecta. Habebant enim tunc temporis tres Pagos maxime infestos. Argumento est Turracula, hodie dicta *Seburg*, ubi Lucernani continuas habuisse custodias dicuntur. Deinde pali in lacu, nequis navigio posset adire, infixi, atque ab uno, in littus oppositum extensi. Vestigia adhuc videntur.

Non Leopoldi iras timuit, non Suanica bella, 45
 Pannoniaeque minas, vicos imitata superbos
 Auxit opes, nomenque suum, famamque perennem,
 Primaque cum primis sua foedera junxit amicis,
 Quodque à luce datum venerabile nomen haberet
 Non oblita, dedit vires, crescensque levavit 50
 Imperium, luxitque suis, et foedere vinxit.
 Ergo quae tribus est vicis unda, haec eadem illi est,
 Et nomen commune tenent, quod Sylva repingit.

URia post ingens, Hunnorum gente creata, 55
 Quos rabida è Scythicis longe summoerat oris
 Barbaries, gens tota furor, turba horrida tota.
 Inciderat facinus crudele, et in aethera crudum
 Fixerat os, Christumque, ejusque evertere gentem,
 Sed vicit pietas, riguerunt faxea quondam
 Corda viris, nunc sunt toto liquentia melle. 60
 Mens sola in melius versa est, sunt robora prisca,
 Atque eadem virtus, eadem est audacia membris,
 Nemo illa major bello, nemo acrior armis.
 Haec nostri fons imperii, quae prima Tyrannos.
 Corripere est ausa, et volitanti plectere ferro. 65

SUITia bellipotens in magnis inclyta rebus,
 Et bello, et pace immensos perpessa labores,
 Semper in Alpibus toto aevo exercita lustris,

Non Leopoldi.) Ducis Austriae. Is Lucernanos, postquam foedus cum tribus civitatibus sylvanis percusserant, bello aggressus cum quater mille equitibus, peditibus innumeris apud Sempachium oppidulum ditionis Lucernanae oppressus obiit.

Suanica.) Suevica.

Vicos.) Uriam, Suiciam, et Sylvaniaam.

Superbos.) Nobiles, praestantes.

Primaque cum primis.) Opinionem sequitur quorundam, qui putaverunt foedus quatuor civitatum Sylvae [ita nos appellamus] primum fuisse.

Levavit.) Juvit.

Ergo quae.) Lacus enim [de quo paulo ante dictum est] tam patet, ut omnes has partes attingat, tametsi procul a sese distat. Sylvania namque abest a Lucerna milliare Germanicum. Suitia tria. Quatuor Uria.

Et nomen.) Nominantur enim lingua nostra, *Die vier Waldstaedt*, Latine non ita absurde dicere potes: Civitates, seu communitates sylvanas.

Uria post ingens.) Uria nec urbs, nec oppidum, sed communitas est pagorum. Inter quos primus Pagus vetus appellatus ita pollet aedificiis, atque plateis lapide stratis, ut ab oppido nihil differat, nisi quod caret moenibus. Nominis origo est ab Uro bove sylvestri, cujus caput Hunni, a quibus illi vere initium sumunt, gesserunt in armis. Interiacet montibus, ut non possit adiri, vel certe difficulter, nisi aut navigio, aut per montem Gotthardi periculosissimum. Viros habet prudentes, acres, et vere contemptores animae, ubi pro Justitia dimicandum est.

Quos rabida e Scythicis.) Scythia regio Asiae Septentrionem versus admodum barbara, quare Scythicis oris dicit pro Septentrionalibus. Rabida autem barbaries Hunnos Scythiae populos, inquit Poeta, commovit ad proficiscendum in Italiam, ut persequerentur Christianos. Post magnam vero stra-

gem acceptam huc sunt adacti, ut in patriam repedandum esset, quidam vero nobiles cum multis aliis, terrore nimio perculsi, in haec montana, ubi hodie sunt Uri, confederunt. De Hunnis vide *Paulum Diaconum. Lib. XV.*

Gens tota furor.) Emphasis est, nam plus, quam si dixisset furibunda.

Facinus crudele.) Magnum scelus, quale autem id, quantumcunque fuerit exponit.

Et in aethera.) Quia contra Deum, et ejus cultores bellum susceperant.

Quondam.) Dum adhuc Idolis sacra facerent.

Mens sola.) Solam, inquit, mentem in melius transmutarunt falsam religionem abjicientes, veram autem suscipientes. Nam uti prius tortes fuerunt, ita hodie quoque pristinam servant fortitudinem.

Audacia.) Fortitudo. Alias temeritatem significat, idque proprie.

Fons imperii.) Guilielmus enim foederis autor Helvetici Urius fuit.

Volitanti plectere.) Alludit ad Guilielmum, qui [ut diximus] telo Grifelerum tyrannum trajecit.

Suitia bellipotens.) Suitia sequitur, unde omnes confoederati commune apud vulgus hodie tenent nomen Suitenses, vel Suiceri. Pagorum est congeries sicut Uria, interclusa montibus, longe tamen, quam Uria, situs amoenioris, faciliusque aditus. Traducunt autem Suici originem a Suedis, qui in extrema Septentrionem versus Europa sunt; alio nomine Gotthi appellantur. Cujus rei testimonium non modo nostrae historiae adferunt, sed et ii, qui vel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus saepe quaesitum a mercatoribus nostris, quicquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulsos fame ex sua patria, in nostras, uti apud nos creditur, sedes devenisse. De conformitate regionum, morum, naturae, aliarumque rerum, ut solet, nihil minus inquisitum. Afferarunt omnia, illud adjicientes, miris

Figit apros , certatque urfis , curfuque volanti
 Praevertit damas , cogitque in retia cervos: 70
 Ocia nulla sciunt juvenes , nulla ocia adulti,
 Scandere ni montes , et duro vincere caestu
 Ocia quis dicat , studium hoc o Gotthica nobis
 Terra dabas , quando Italicis te sustulit oris,
 Horrendasque tulit dux Byzantinus in Alpes. 75
 Post quoque difficiles omnino exosa Tyrannos,
 Arma secuta modis Uri Guilielmia miris.

Sylvanam gentem , Romano a sanguine cretam,
 Quam scindit geminam nemoroso robore sylva,
 Quis digne satis extollat ? cui lucidus aër, 80
 Lucidaque amne loca , et foecundo gramine campi,
 Miles et in jaculis , et longa turbidus hasta;
 Libertatis honos , et priscae gloria Romae.
 Sarnenses arces , infesto sydere natae,
 Ipse Tyrannus idem , tua jura Agriane perosus, 85

miris se gloriari modis , tam laudatum apud omnes gentes populorum originem sibi ferre acceptam. Appellatio est a Suiterno quodam populi duce, qui pugna fratre superior plagae nomen [nam de hoc certamen erat] imposuit. Quod quidem picturae jam dum apud Suicos antiquissimae indicant, nedum libri. Mirum autem in modum pulchra corpora progignit. Poeta his attribuit ea, quae *Mantuanus* Helvetius in exhortatione Principum Christianorum contra Turcas, ubi sic scribit:

*Gens fera , contemptrix animae , consueta per Alpes
 Figere apros , certare urfis , nive candida semper
 Per juga veloces cursu praevertere cervos
 Helvetii , tibi dura acuunt venabula , et enses.*

Labores.) Hos commemorare, librum postulare.

Ocia nulla.) Magna laus. Omnem enim maliciam docuit ociositas, ut *Chrysostomus* ait.

Caestu.) Caestus clavam significat ex corio, quae plumbum insutum habet, loris bubulis manibus brachiisque adligabatur. Antiquitus erat durum certamen caestuum, raroque sine caede committebant.

Dux Byzantinus.) Narses Justiniani Imperatoris dux. De hac re *Leonardus Aretinus* sic scribit *Lib. IV. de bello Gotthico*: Inter haec ad mille equites ex Gotthorum castris aufugerant, magnisque itineribus Papiam, et alia trans Padum oppida petierant. Reliqui autem foedere cum Narseteicto sua privatim asportantes Italia excedere, ac nunquam adversum Romanum Imperium bellum gerere promiserunt. Libertate tamen retenta, sine ulla Romani Imperii subjectione. Libro quoque II. ait: Gotthos in Alpibus frequentia habuisse castella, et multas arces.

Arma secuta.) Haec res habet hoc modo. Agrianus [quem vulgo *Stoufacker* nominant] domum contignatam pro more Suicorum sumptuose extruxerat. Quam, Gryselerus praetervectus equo, ubi diutius contemplatus erat, tandem rogavit, cujusnam esset? Respondit ille non ignarus Tyrannici pectoris: Tua est optime Princeps, et mihi conducticia. Abiit Tyrannus. Hic vero magna percitus sollicitudine ne in domum suam violenter is, qua erat malignitate [prius namque non semel contra alios idem patraverat] impetum faceret, tristis egit tantisper, dum persuasus ab uxore concederet Uriam, inventum iri fortasse, quos similis injuria premeret. Consilio ad-

probato reperit duos, conveniunt, conqueruntur Tyranni injusticiam, et denique conjurant, se aut mortem obituros, aut patriam secum adferturos in libertatem. Quid actum sit, ita palam est, ut pluribus verbis non egeat.

Sylvanam gentem.) Proxima nunc Sylvania, duplex quidem, superior, et inferior. Nomen sortita est a sylva interjacente. Multis pagis abundat, montosa prorsus, latissimis tamen, atque foecundissimis pratis. A Romanis hic populus descendit, expulsus ab Urbe per seditionem, quos quantum et cultu, et fortitudine adhuc repraesentet, noverunt, quibus mores et gesta Sylvanorum sunt comperta.

Cretam.) Ortam. *Vergil.*

Quo sanguine cretus Hortamur.

Geminam.) Duae partes enim sunt [ut diximus] et duo judicia. Ad conventum Helvetiorum duos mittunt legatos, qui tamen unum tantum suffragium possunt reddere. In dividendis quoque vel stipendiis, vel aliis rebus, Superior, quod major est, duas portiones, ubi Inferior unam, accipit. Hujus pagus praecipuus Stans vocitatur, illius Sarnen.

Miles et in.) Indicat populum esse bellicosum.

Turbidus.) Pugnax, terribilis. *Vergil.*

Et Venulo adversum se turbidus infert.

Libertatis.) Helvetiae, pro qua paranda, et conservanda nihil non subierunt laborum.

Romae.) Ad hanc enim referunt originem, ut dictum est. Nihil autem hactenus egerunt, quo ab illa degenerasse queant redargui.

Sarnenses arces.) Vicus est Sarnen [modo id quoque relatum] primus sylvae superioris, unde Sarnensis est deflexum, a quo non procul Landenbergius Tyrannus arcem habuit cum arte, tum natura sic munitam, ut de ejus expugnatione ferme desperatum esset. Tum vero succurrit exactio, quam Tyrannus, qui Landenbergio successerat, statuit ad expilandum populum, ut videlicet singuli singulis diebus festis, quos quatuor per annum celebramus, pro facultate aliquid tributisibi nomine adferrent. Nam dum, divina Tyranno audiente, censum Sylvani putarentur adferre, arcem intromissi occupant. Quae res statim ut ad dominum pervenit, omnibus post habitis, paucisque ex ministerio comitatus Sylvania excessit. Haec obiter diximus.

Ipse Tyrannus.) Landenbergius. De hoc ab initio pene dictum est.

Ostendunt: Huic est vastae pius incola Eremiti
 Nicoleos, qui uno et viginti sobrius annis,
 Nil potus, esusque tulit, mysteria coeli
 Edoctus, sacro vivebat corpore Christi.

Tugium ab antiqua Helvetiorum gente creatum, 90
 Gens ferri, populusque acer, gens fueta laboris,
 Semper in arenti juvenes exercet arena.
 Terra minor reliquis, sed non tamen infima virtus,
 Dura manus bello, nullo perterrita casu,
 Stat, velut à rapido quercus non mobilis Euro 95
 Vapulat, instructaque ignara phalange revelli.
 Facta patrum ostendunt, et monstrant tempora nostra
 Tuginos acres, et libertate celebres,
 Sollicitosque sui, natosque ad bella Camillos.
 Huic sunt à tergo colles, sed dextera pingui 100
 Rure viret, frontem nitida lacus abluit unda.

TU quoque Limagiana gravi gens inclyta bello,
 Et libertatis vindex, temeraria Rheni
 Bella teris gladio, dirosque explosa Tyrannos,
 Culmineque eductas in sydera diruis arces; 105
 Plurima majorum tibi sunt exempla tuorum;

Huic est vastae.) Nicolaum significat Eremitam. Hic quidem natione Sylvanus, patre Henrico, matre Hemmanna progenitus divino monitu eremum intravit, uxore cum decem liberis quinque masculis, et totidem puellis relicta, ubi absque cibo, et potu humano XXI. annos transegit. Solitus fuit aliquando dicere: Longe gratius sibi fuisse, quod divina gratia potuerit penitus uxori suae renunciare, quam quod cibo. Sepultus jacet apud Sylvanos in pago, cui nomen *Sachsen*. Vir fuit admodum procerus statura, et formosa. Supra quam erat satis macie confectus, ut nihil aliud habere visus sit, quam cutem ossibus adhaerentem. Color erat fuscus, capilli nigri canicie passim interspersi. Barba non proluxa, nec multo pilo, sed in medio bifurcata. Oculi adprime nigri, et quibus terrore quis potuisset, ob venerandum fulgorem, concuti. Colli, gutturisque venae, dum loquebatur, non sanguine, sed aere videbantur plenae. Veste usus unica, et simplici ad talos usque demissa. Caput semper nudum, et nudi pedes. Vocem edebat virilem, sermonem tardum. Disputans de Deo, videbatur omnia sacrarum literarum secreta esse rimatus, cum tamen ne literam quidem noverat. Illud addam: Cellulam ejus fuisse longam duobus passibus, et semis, latam unius et dimidii, altam, ut capite ejus summitatem tangeret. Fenestrenulas haec duas habuit palmae latitudinem referentes. Nihil insuper videbas, praeter humillima scabella, quibus haud dubie pro cervicalibus utebatur. Haec adscripsimus ob eam causam, quod hactenus non vidimus adnotata ab his, qui vitam ejus viri literis mandarunt. Quamvis *Henricus Lupulus* Canonicus Bernensis homo plane doctus nihil pene omiserit. Ejus libellum propediem in lucem dabimus.

Tugium ab antiqua.) Tugium, vulgo *Zug*, oppidulum est, cujus frontem cingit lacus, tergum et sinistram monticuli, dextram campi non mediocriter fertiles. Memini a majoribus me audisse, longe quondam fuisse amplius, quam sit hodie, sed unam ejus partem ob lacum insidiantem subsedis. Extra

muros parum admodum habet imperii. Homines producit mire formosos, et acres. Tuginorum meminit *Strabo Lib. IV. et VII.* ubi ait, de Cimbris loquens: *Cumque constatas atrocibus opes longe suis ampliores esse viderent, in Helvetios se contulisse. Et ex eis praecipue Tuginos, et Tuginos sollicitasse. Universos vero delevere Romani etc.*

Acer.) Fortis. *Vergil.*

Arma acri facienda viro.

Stat.) Comparatio.

Euro.) Vento quovis. Species est pro genere.

Vapulat.) Percutitur, impellitur.

Phalange.) Ordine. Quid phalanx proprie sit, his verbis *Q. Curtii* clarum videtur: Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conferta sunt.

Camillos.) Fortes sicut erat Camillus, qui urbe a Gallis Senonibus capta ad Capitolium usque, a tergo eos subito aggressus adeo cecidit, ut omnia incendiorum vestigia [prius enim urbem totam igne consumpserant] Gallici sanguinis inundatione deleteret. Vide *Livi. Lib. V. Decad. I. et Flor. Epit. I. et Plutarch.* Poeta elegantiae gratia numerum mutavit, quemadmodum etiam *Hieron. Lib. I. contra Joviniam.* Claudias, et Cornelias dicit.

Tu quoque Limagiana.) Glareana pagus totam ditionem suam denominat, inter montana jacet altissima. Ingenia felicissima profert. Quod quidem facile poeta noster comprobat, et *Arbogastus Strub* cognomento, qui, dum in vivis esset, non mediocre decus fuit Academiae Viennensis. *Conradus* item *Fontejus Vesenius.* Adulescentes autem quamplurimi, quos nihil ambigo si pergent, uti coeperunt, non parum suae patriae ornamenti allaturos esse.

Limagiana.) Glareana, a *Limago*, qui apud Glareanos oritur.

Libertatis vindex.) Explosit enim Tyrannos, et arces, quas septem habuit, disiecit.

Eductas in sydera.) Hyperbole. *Vergil.*

Fluctusque ad sydera tollit.

Aspice

Aspice dissecto Vefenia pergama muro,
 Quid patres potuere tui, te aequare labores
 Majorum pulchrum est, demptasque ulciscier umbras. 110
 Sunt tibi in aethereo duo numina maxima coelo,
 Inclytus effugiens noctem Fridolinus opacam,
 Hillarion Gallus, Pictonae gloria gentis,
 Saepe vocanda tibi, saepe in tua vota petenda.

RAuriacas arces, Augustaue limina Rheni 115
 Helvetiae muros, et inexpugnabile vallum,
 Quo pede dicendi, quo plectro, quave camoena
 Sat digne extollam? non si mihi Tullia verba
 Delius inspiret, Musisque ad transtra vocatis,
 Tantillum laudis possem. Salve optima mater 120
 Indigenis Basilea tuis, urbs inclyta fama,
 Urbs Troja, Thebisque, et multis notior astris,
 Tota quidem splendes, et te tibi pulchrior ipsa es,
 A planta usque caput, tu nostri portus apexque
 Imperii, tu totus honos, non indiga laudis
 Fucatae, semper studiorum dulcis alumna, 125

Aspice dissecto.) Pugnam significat Nephelinam, in qua hi populi contra Glareanos suos miserunt exercitus: Scaphusiani, Chimopolitani, Chiburgii, Doggii, Cellani ad lacum Venetum, Campocanini, Dux Austriae, Domini ex Torberga, Rappensvillii, Grunigenfes, Uznenses, et Vesenii. Ceciderunt ex hostibus in ea pugna tria millia, praeter eos, qui in lacu Vesenio sunt submersi. Hanc quidem, ut praecipuam, Poeta noster carmine Heroico descripsit, suo tempore editurus in lucem.

Vefenia pergama.) Moenia Vesenii oppidi nunc desolati, vulgo Wesen.

Pulchrum.) Imo pulcherrimum. Non enim est, quod magis dedecet, quam degenerare a suis, ubi quid ab eis optime et cum virtute gestum est.

Numina.) Patroni.

Inclytus effugiens.) *Fridolinus* in Hibernia natus dicitur e stirpe generosa, ac praedivite. Patria relicta urbem petiit Pictaviensem divertens ad Divi Hilarii basilicam. Mansit illic tamdiu, donec visione monitus est ab Hilario, ut inde abscederet. Venit itaque longissimo itinere ad Insulam Rheni, in qua hodie Sacconium oppidulum est. Ibi plurimis annis in Dei servitio peractis obdormivit.

Hillarion Gallus.) Praeclarus hic fuit Theologus, et episcopus Pictaviensis. De quo lege *Hieron.* in catalogo illustrium virorum.

Rauriacas arces.) Basilea urbs episcopalis praeclara, et ampla, omnibus modis ita commendabilis, ut parem inveniri facile, haud credam. Situs est namque jucundus, longus et oculis mirifice blandiens undique prospectus, aedificia magnifica, templa atque monasteria multa, dulcissimi fontes, coelum saluberrimum, mira omnium rerum exuberantia. Rhenus urbem determinans, ponte tamen iterum connexam. Homines civiles, Respu. optime instituta. Et, quod erat initio dicendum, Universitas erudita, a qua non mediocrem laudem obtinet apud externos. Sed nec minorem ab arte impressoria, ut ex qua innumeri tam boni libri, tam elegantes, tam repurgati ab omnibus mendis, tamque reipu. Christianae conducibiles in lucem jam non multo ante prodierunt, et quotidie prodeunt. In qua quidem re ERASMUS ille Roterodamus vir ex omni

aevo incomparabilis, et rei communi Christianae [nihil enim dubito] natus, haudquaquam sua laude fraudandus est, utpote cujus opera effectum, ut plerique hi libri cum exhibiti sint, tum emendatiores, conspicuique magis exhibiti. *Beatus* autem *Rhenanus* quantum in hoc negotio laborum impendat, vel orbi cognitum. Hunc equidem hominem commendarem pro doctrina singulari, pro linguarum cognitione, pro instigandi studio ad bonas literas, et sacram Christi philosophiam, pro candore, pro humanitate et probitate, ac denique pro exactissimo judicio in re literaria, nisi id fecisset jam olim fama, qua per totum pene Christianum circulum ejus nomen defertur. Habet haec urbs etiam indigenas, a quibus plus quam illustratur. Ut *Berun* Theologum, *Amorbachios* trilingues, *Copum* alterum nostri temporis [ut *Erasmus* inquit] Hippocratem. Percussit autem foedus perpetuum cum Helvetiis ob defendendam et justitiam et libertatem. Superius quoque de hac diximus. Nomen habet regium. *Βασιλεύς* enim rex est, *Βασιλεία* regnum.

Augustaque limina.) Allusio ad Augustam veterem.

Muros.) In Helvetiae enim pene finibus est.

Non si mihi.) Hoc dicit. Etiam si Apollo Ciceronis mihi infunderet eloquentiam, et Musae labori meo adisterent, tamen ne minimum quidem laudis efferre possem, prout Basileae requirit magnitudo.

Delius.) Apollo, a Delo insula maris Aegaei. De qua *Vergil. Lib. III. Aene.*

Ad transtra.) Ad labores, ad opus nostrum. Transtra sunt navium tabulae, in quibus sedent remiges. *Vergil.*

Praecipites vigilate viri, et confidite transtris.

Indigenis.) Incolis. Indigena opponitur advenae, significatque inde genitum.

Urbs Troja.) Trojam *Homer.* et *Vergil.* cecinerunt. Thebas *Stattius.*

Et te tibi pulchrior.) Superlatio. *Ovid. Jam se formosior ipse est.* De Adonide.

A planta usque caput.) Adagium. Eo utimur rem totam significantes.

Fucatae.) Id est, adumbratae verborum lenociniis.

Maffiliam referens, doctasque Academia Athenas.

Gentis Aventinae decus, et suprema potestas,
Gloriaque illustris, Francisque procella Friburgum,
Aufim num tenui laudes tibi fundere filo?
Illotis manibus, citharaque sonante ululatum? 130
Sed jubar excellens, magnarum curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Irascensque Aries muris, objectaque moles
Ordinibus, volitansque hosti catapulta furenti.
Sedula Bertoldi Ducis alti cura Zeringi 135
Te, velut Arctopolim, fatis felicibus urbeis,
Aedificarat, ubi hos squalenti viderat ora
Colliculos, loca nascendis aptissima muris.

URbs Treveri soror, et Romae Salodoria priscae
Aut aequa, aut major natu, quam scindit et ambit 140
Cultus Arar, cui sunt sacris Thebaea sepulchris
Corpora, quae quondam e Nilo Memphiticus Heros
Duxit in hoc Ursus coelum, dum vita manebat,
Martyrii ut palmam, et dignos Heroë triumphos
Acciperent omnes pro chari nomine Christi. 145
Accipe quod volui breviori dicere versu.
Ursinum servas morem, fortissima bello

Maffiliam.) Civitatem Narbonensis Galliae. Respicit Poeta nimirum ad hoc, quod *Strabo* dicit de Maffiliensibus *Lib. II. IIII.* Eos videlicet rem urbanam per optimates, et Aristocratiam regentes, omnes legum aequitate superasse.

Doctasque Academia Athenas.) Unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur: inquit *Cicer. pro L. Flacco.* Ibidem Maffilia commendatur magnopere.

Gentis.) Friburgum nostrum idem Princeps condidit, qui et Arctopolim, situm est in ultima pene Helvetia occidentem versus, urbs munita non tam hominum operis, quam natura loci. In montis enim radicem adsurgit, cui subest amnis Sana. Superne cacumine montis protegitur, in primis vero prudentium virorum consilio. In quibus tamen *FALCO* eques auratus, et major hoc tempore Praefectus facile primas tenet, cujus equidem mentionem eo facio lubentius, quod et doctus est, et eloquens, quodque tam unice *Glareanum* nostrum amat, omnesque doctos, ut vel hinc liceat hominis conjicere prudentiam.

Aventinae.) Friburgum Aventicum dicitur hac de causa, quod sit Aventici oppidi, capitis olim [teste *Cornel. Tacit. in XVII.*] Helvetiorum colonia. Ejus et *Ptole. Lib. II.* meminit.

Procella.) Obstacleum contra Franciam.

Illotis manibus.) Proverbialiter dictum in eos, qui vel audacius, vel parum instructi rebus his, quibus oportuit, negotium invadunt.

Curia.) Appositio. Curia locus est, ubi senatus reipub. curam, a qua et nomen usurpat, gerit. *Cicero:* Extincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus?

Belli memorabile fulmen.) Ita Scipiones quoque duo belli fulmina ab Ennio nuncupantur.

Irascensque Aries.) Aries machina bellica, qua veteres muros diruebant. Tribuit rei inanimatae affectum, cum dicit irascens.

Catapulta.) Catapulta jaculum celere, vel sagitta secundum *Nonium*.

Loca nascendis aptissima muris.) Locus enim is accommodatus urbibus extruendis, quem natura etiam ad tuendum formavit.

Urbs Treveri soror.) Si civitatibus laudem pariter vetustas, nullam vel Galliae, vel Germaniae dicere aufim, exceptis Treveris, quae parem cum Salodoro nostro commendationem mereatur. Ferunt enim conditum esse, non multo post Abrami tempora. Visuntur hodie argumenta antiquitatem plane indicantia. Situm est ad Ararim nostrum, contentum planicie, validissimis cinctum moenibus. Viris praestat hujusmodi, ut a quibus in praelio animum concipias vel ignavissimus.

Salodoria.) Trevirim et Salodorum sorores vocat, quod iis simul fuerunt temporibus, cum nullae adhuc aliae civitates vel per Galliam, vel per Germaniam forent extractae.

Cui sunt sacris Thebaea.) Nempe Ursi, et sociorum ejus, qui ex Thebaide Aegypti cum Divo Mauricio proficiscentes, post Mauricii martyrium Salodorum venerunt. Ibi tum Praeses erat Hirtatus nomine. Huic a Maximiano Imperatore continuo mandatum, ut sanctos viros vel ad idololatriae cultum adigeret, vel tolleret e medio. Verum hi firmati in Christo cunctis prae ipso contemptis martyrio coronati sunt.

E Nilo.) Ex Aegypto, cujus fluvius est Nilus.

Memphiticus.) Aegyptiacus. De Memphi supra dictum.

Palmam.) Victoriā, cujus palma signum est. Ratio datur a *Gellio Lib. III.*

Ursinum servas morem.) Apostrophe ad civitatem.

Acquesque sororem.) Trevirim. De qua *Ausonius* verba subscribam.

*Armipotens dudum celebrare Gallia gestis,
Treviricaeque urbis solium, quae proxima Rheno
Pacis ut in mediae gremio secura quiescit,*

Pectora habens, nulloque unquam perculsa timore,
Ut Romam factis imitere, aequisque sororem.

Subticeamne tuos o Scaphufiane labores? 150
Conspicuum Helvetiae sydus, bene digna Camoenis
Gloria Teutonicae Germano in littore terrae.
Utilis et bello, vincendoque utilis hoste.

Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni 155
Alluit; hic rapidus reflente in gurgite vortex
Cernitur, Euripum referens, Scyllaeque voracis
Latratus, hic unda alti de vertice montis

Lapsa ruit praeceps, sterilemque eructat arenam
In circum, sursumque volans portendere nubem,
Aut nebulae speciem, et coelum pulsasse videtur. 160

Tarda venis, sed grata meo Cellana juvenus
Concentu, fidibusque istis, plebs aspera cultu,
Contemptrixque animae, molesque objecta periclis
Suanorum, cui quanquam alti sunt ardua montes
Pergama, stat fortis pro duro dextera muro. 165

Est tibi simplicitas prudens, moderata potestas,
Et quo nil majus, justo moderamine ferrum.
Te quoque quis cultuve Dei, pietateve major?
Claude meum carmen, potiusque eris ultima stellas
Inter majores, quam prima minoribus astris. 170

Haec mea Musa humili visa est prompsisse Camoena,
Historiam libans, summas vix tangit aristas,

*Imperiique viros quod alit, quod vestit et armat,
Laeta per extantum procurruunt moenia collem,
Largus tranquillo perlabitur anne Mosella,
Longinqua omnigenae vectans commercia terrae.*

Subticeamne.) Scaphufiam a scapha dictam, non ab ove, [quamvis usus jam sic obtinuerit] supra retulimus. Sita est ad Rhenum in littore Germanico, Helvetiae tamen ponte conjungitur. Omnium rerum mire exuberans, nec postrema in Helveticis urbibus sive pace, sive bello. Eo autem territorio complectitur, cujus nec Bacchum poeniteret, nec Cererem.

Hic.) Sub Scaphufia circiter mille quingentos passus.

Euripum.) Euripum significat, qui pars maris est inter Phocidem Boeotiae partem, et Euboeam insulam, cujus meminit *Strabo Lib. IX.* et *Plin. Lib. II.* Et quorundam tamen, inquit, privata natura est, velut Taurominitani Euripi saepius, et in Euboea septies die ac nocte reciprocantis, tam rapida conversione, ut quemadmodum Autor est *Pompon. Mel. Lib. II.* vento, ac etiam plenis velis navigia frustretur.

Scyllaeque voracis.) *Justinus* Historiographus de Scylla sic scribit *Lib. IV.* „Undarum porro in se „ concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti ter- „ ga dantes vorticibus in imum desiderere, alias quasi „ victrices in sublime ferri videas, nunc hic fremi- „ tum ferventis aestus, nunc illic gemitum in vora- „ gine desidentis exaudias. „

Hic unda.) Descriptio haec tam aperta est, atque dilucida, ut nulla penitus explanatione sit opus.

Tarda venis.) Abbatis cella pagus oppidum modis omnibus repraesentans totam ad se attinentem

plagam denominat. Intercluditur montibus. Recepta in numerum partium Helveticarum An. M. D. XIV. A Poeta vero addita est, posteaquam reliquas partes jam descriperat. Quare dicit: *Tarda venis.*

Cui quanquam.) Id est: quanquam montibus altissimis est circumducta, tamen in his quasi parum confidens, dextra fortitudinem exercet.

Simplicitas prudens.) Nihil poterat aptius conjungere, quam cum prudentia simplicitatem. In hac nanque synceritas est, in illa boni et mali, et inter se utriusque discretio.

Justo moderamine ferrum.) Res omnino difficilis homini Christiano invenire causam, qua iuste belligeret, quod tota evangelica doctrina, omnis institutio apostolica nihil aliud doceat, quam pacem et charitatem. Unde magnam tribuit Abbatiscellanae juventuti laudem, quod bellum non ineat, nisi justum. Id quod tum fecit, dum Tyrannidis impatientia, non multos ante annos jugum insolentissimi domini excussit justis causis moventibus, aliquot imperialium civitatum copiis gravi pugna superatis apud viculum, quem Loch cognominant.

Potiusque eris.) Eleganter concludit Abbatiscellam admonens, velit potius esse inter Helvetiae partes [quas angulos vulgo dictitant, nec sine ratione] praestantiores ultima, quam inter inferiores prima.

Haec mea Musa.) Culpam omnem, quod non descriperit Sedunos, et Leopontios socios Helvetiorum, Durgeos, oppidum ad S. Gallum, Doggios, et Sanacafam ditionis Helveticae, in Musam Poeta rejicit, posteris id quaecunque futurum sit negotium committens.

Historiam libans.) Breviter attingens. Libare est leviter gustare. *Vergil.*

- - - *Et flumina libans.*

Sed neque , quid Veragri possint , acerque Sedunus,
 Et Leopontini , gens aegocerotide pelta
 Bellipotens , cecini , tria quae per foedera juncta est, 175
 Rheticaque arva tenet , Sanctique potentia Galli,
 Durgea quid felix possit , quid Doggia castra
 Fortia , quid vallis quae nomen ab anserē fumpsit.
 Haec mea posteritas celebret , charique nepotes,
 Tum , quae plura vides , nostro non congrua plectro 180
 Subnotet , et partes singillatim explicet omneis.
 Tota mihi cantanda fuit , mea Musa recusat
 Hoc onus immensum , volui tamen illa referre.

Foeta armis regio , foecundoque incluta partu,
 Et semper crescens populus , patiensque laborum, 185
 Formicae velut Aeginae , quas crescere in auras
 Aeacus aspexit , relevamen plebis ademptae,
 Myrmidonasque vocat , nec origine nomina fraudat.
 Gens nimium potum exhorrens , gens dedita sacris
 Religione viret , tota est affabilis , alto 190
 Amne sitim levat , et victu contenta minuto est.
 Fidum iter ostendit plebs officiosa , per Alpes
 Tuta via est , atque a laqueis defensa latronum,
 Nullae hic insidiae raptorum , nulla tyrannos
 Arx fouet , et nullam timet hic mercator eremum. 195

Veragri.) De his superius dictum. Quidam
 eos appellant hodie Ad S. Mauricium.

Aegocerotide.) Patronymicum pro possessivo.
 Ea gens capricornum habet in insignibus , qui Graece
 dicitur *αιγονεργος*.

Pelta.) Pelta scutum brevissimum est in mo-
 dum lunae jam mediae , inquit *Servius*. Poeta pro
 insignibus ponit.

Tria quae per foedera.) Allusio ad hoc quod
 vulgo dicuntur. *Die drey Bünde*.

Sanctique potentia Galli.) Oppidum vocatur ad
 S. Gallum pulchrum , opulentum , et populosum ,
 ob negociationem [bysso namque victum quaerit]
 multis cognitum gentibus. De quo , etsi propter
 res innumeras foret celebrandum , parcius dicam ,
 quod *Joachimus Vadianus* ejus alumnus ipsum elegantis-
 simo carmine illustravit , vir talis in omni doctrina-
 rum genere , ut quem vel doctissimis quibusque op-
 poneres , adeo humanus , ut nesciam , an humanius
 quicquam unquam senserim.

Quid vallis.) Poeta vulgi opinionem secutus
 dicit vallem hanc nomen habere ab anserē , *Sargans*
 etenim vocant , cum vere nominetur lingua Rhetica
 Sanacasa.

Foeta armis regio.) Laudes colligit Helvetiae.
 Ubi quidem candidum lectorem velim admonitum ,
 ne si quae obvenient moribus hodiernis Helvetiorum
 contraria , statim mendacii Poetam insimulet , nam
 de veteribus , hoc est majoribus nostris rem potissi-
 mum vult intelligi , per quos imperium nostrum ad-
 auctum est. Non enim nescit , quantum hodie aliena-
 nam ab illa priore vitam agant Helvetii , neque id
 semel apud nos deploravit.

Formicae velut Aeginae.) Similitudine fabulosa ,
 sed decentissima ad crescentem hunc populum indicat.
 Fabulam lege apud *Ovid. Lib. VII. Meta.*

Aeginae.) Insulae Atticae ubi regnavit Aeacus.

Crescere in auras.) Mutari in homines.

Plebis ademptae.) Scilicet peste a Junone im-
 missae.

Myrmidonasque vocat.) Aeginenses , inquit *Strabo*
Lib. VIII. Myrmidonas appellatos , non quo-
 modo in fabulis canitur , ut ingente invalescente pe-
 stilentia formicae Aeaco precante in homines versa
 fuerint , verum quia formicarum more terram fo-
 dientes ad petras transportarent , ut agri colendi ma-
 teriam haberent , fossasque incolerent , ne latericiam
 facere , atque aedificare cogerentur. Formicae Graece
 dicuntur *μύρμινες* unde Myrmidonum appel-
 latio.

Gens nimium potum.) Sciens nimirum *Plinia-*
num hoc : Cicuta venenum est homini , cicutae
 vinum. Quasi dicat Vinum citra modum sumptum
 venenum esse praesentissimum , quum veneni sit ve-
 nenum. Sic *Politianus Plinium* legit in *Miscella*. In pri-
 mis autem illud Pauli : *Μη μεθύσκεσθε οίνω , εν ο*
εσιν ασωτεια.

Gens dedita sacris.) Mirum quantum simplici-
 tas in homine Christiano commendetur , atqui tam
 simplices Helvetii , ut etiam ab *Erasmo* sint ab ea
 virtute commendati , consentaneum igitur vero ipsos
 non admodum male Christianos esse , et proinde re-
 ligioni quam maxime addictos.

Tota est affabilis.) Humana erga peregrinos ,
 sic enim intelligitur. Qua quidem in re nescio , an
 sit alia gens praecellentior.

Et victu contenta minuto.) Pro laboribus minu-
 to , neque delicato , sed simplici , de qua re ita
 scribit *Chrysostomus* : Vilis enim mensa et tenuis sa-
 nitatis mater est , et eam propterea medicorum pueri
 ita nominaverunt , non saturari quidem vocantes sa-
 nitatem. Cibi nanque penuria sanitas est , minus
 vesci , sanitatis matrem appellantes.

Ostendit.) Scilicet peregrinis.

Tuta via est.) Id quod non tam apud nostros
 est communi verbo celebratum , quam apud exteros ,
 quo dici solebat : Adeo tutam Helvetiam , ut auro
 ne publice quidem gesto struerentur insidiae.

O nimium felix patria, o dignissima laude,
 Si, quod majores duro peperere labore,
 Imperium ferves, libramque sequare bilancem
 Virginis Astraeae, timeat sua dona Cupido,
 Imperium pia simplicitas regat, et bona virtus. 200
 Jura ferat senior, venabula laeta juventus
 Dura acuat, subigatque ferox in cote sarissas.

Papa tibi, et Caesar, duo lumina maxima mundi,
 Ante oculos sunt, solem illum, hunc dicito lunam;
 Papa caput mundi, verus pater Urbis et orbis, 205
 Sol verus, reliquas stellas illuminat omneis,
 Praecipue lunam, quae caetera lumine vincit
 Sydera, ceu superat reliquos molimine reges
 Magnanimus Caesar, belli inviolabile fulmen,
 Totius orbis apex, hominumque suprema potestas; 210
 A Christo positus, cui longo serviet aeyo
 Sol oriens, solque occiduus, polus auster, et arctos,
 Hos sequere authores, rerum dominosque patresque.

Omnia ad exemplum majorum pende tuorum,
 Omnia perspicienda tibi, tu discito Romae 215
 Crescentis mores, tetricos imitare Catones,
 Aeneadasque duces, Decios, fidosque Camillos.
 Fabritium, Curium, et contracto poplite Coclem,
 Innumerosque alios, quos commemorare molestum.

O nimium felix.) Peroratio adhibita admonitione.

Libramque sequare bilancem.) Allusio ad Justitiae imaginem, uti hodie pingitur.

Virginis Astraeae.) Justitiam antiquitus vocabant Astraeam, eamque scribunt, ut apud *Ovid.* legitur *Lib. I. Meta.* terras reliquisse postquam a vitiis hominum sunt occupatae, atque in coelum migrasse. Quod quidem *Lactantius* ille *Firmi.* ait *Lib. V.* non pro poetica fictione, sed pro vero habendum. Rationem licet ab eodem inquiras.

Cupido.) Optime dicit, timeat. Nam nihil nostrae patriae potest accidere pestilentius, quam pecuniae nimia cupiditas. Et haec est alterum e duobus, quae omnem rempub. subvertunt, alterum ambitio.

Jura ferat senior.) Id est: Senior rempublicam curet.

Venabula laeta.) Id est: Juventus tractet arma, quemadmodum Romulus primus rex Romanorum rempubl. suam instituit, ut videlicet juventus in equis, et in armis, ut *Florus* ait, ad subita bella excubaret, fenes penes respub. esset, quos quidem ex auctoritate patres, ob aetatem senatores vocabat. Innuit autem Poeta proverbium, quo dici solet: Facta juvenum, consilia mediocrium, vota senum.

Subigatque.) Ita *Vergil. Lib. VII.*

Subiguntque in cote secures.

Sarissas.) Hastas oblongas, quales Macedones ferre olim soliti sunt.

Hos sequere authores.) Sequendi eatenus sunt et Papa, et Caesar, dum nihil nec jubent, nec imperant, quod displiceat Christo. Quod si secus fit, haudquaquam obsequendum. Imo vero semper habendum in pectore: Plus nos debere Deo, quam hominibus. Aliquoties namque populi simplicitas in hac re perniciosissime seducitur.

Tetricos Cato.) Graves, et severos. Duorum Catonum, senioris, cui nomen Censorio, et minoris, cui cognomen Uticensi, gravitas, pariter atque integritas vulgo celebratissima quondam fuit, adeo, ut e coelo demissi dicerentur, ut bellum cum vitiis gererent, inquit *Erasmus.* Unde Adagium sumptum: *Tertius Cato,* in viros impendio tetricos.

Aeneadasque.) Romanos ab Aenea descendentes.

Decios.) Et pater et filius pro salute publica se devoverunt. Ille in bello Latino, autore *Livio Lib. VIII. Deca. I.* Hic in bello adversus Umbros, Hetruscos, et Samnites, quod idem testatur. *Lib. X. ejusd. dec.*

Fabritium.) Hic Consul fuit Romanorum omnium suo tempore gloria, et rebus gestis maximus, sed in primis frugalitate commendatus, in tenuissima namque suppellectili Samnitum, qui tum hostes erant, munera contempsit. Et Timocharem vel ut alii, Nicium pro necando Pyrrho Epirotarum rege, contra quem Fabricius tum in armis erat, pecuniam petentem, Pyrrho remisit. De hoc et *Valeri. Max.* et *Gellius* meminerunt.

Curium.) Dentatum intelligit, qui hoc paravit cognominis ab eminentiori dente. Exactissima frugalitatis norma dicitur, et fortitudinis perspectissimum specimen a *Valerio Lib. IV.* De eodem lege *Plutarchum,* et *Cornelium Nepo.*

Contracto poplite Coclem.) Is et claudus fuit, et unoculus, quae quidem vitia tulit ob fortitudinem. Mirabilis fuit ejus viri pugna pro ponte sublicio, ubi unus tot millibus armatorum tamdiu restitit, dum a tergo ponte interciso in Tyberim se demisit, atque ad suos tranavit incolumis. Ejus virtutem multi autores commemorant, ut *Valerius, Cornelius Nepos, Livius, Florus, Seneca, Gellius.*

Brutus erat nobis , Uro Guilielmus in arvo. 220
 Assertor patriae, vindex ultorque Tyrannum:
 Sic rogo Scipiadae sint nunc, fideique stupendae
 Attilius, sit qui pacem Pyrrho esse negandam
 Appius admoneat: tu regna Aeneia fixo
 Contemplare animo, nec gesta illa inclyta temne, 225
 Quin propius sequere, et vestigia semper adora.

Brutus erat nobis.) Guilielmus Tellus Brutus fuit Helvetiorum, nam uti Brutus Romanae libertatis fuit vindex, et custos, ita Guilielmus Helveticae. Lege de Bruto *Plutarchum. Valeri. Lib. V. et Cornelium Nepot. et Livi. Lib. I. et II. Decad. I.*

Tyrannum.) Syncope.

Scipiadae.) Viri fortes, qui patriam augeant, sicuti Scipiones Romanum auxerunt imperium.

Attilius.) Attilius Regulus intelligitur, cujus fidem Cicero satis superque explicat *in I. et III. Lib. Officiorum.*

Sit qui pacem.) *Cornelius Nepos* in haec verba scribit: Cum de pace Pyrrhi ageretur, et gratia potentum per legatum Cyneam precio quaeretur, senex et caecus lectica in senatum latus, turpissimas condiciones magna oratione discussit.

Quin propius.) *Statii* carmen ad finem *Thebaidos* paulum immutatum. Concludens autem Poeta monet Helvetios, ut semper in oculis habeant Romanos priscos, qui fere nunquam bellum gesserunt, nisi causam haberent justissimam, et cum hoc, quicquid ad virtutes attinebat, omnibus nervis observant a recto rarissime discedentes.

OSWALDUS MYCONIUS LUCERNANUS S. D. STEPHANO SUO FERRARIO.

HAbes mi Stephane, quod multis à me petiisti flagitiis. Pro viribus ego sum annifus, ut omnia essent quàm emendatissima. Siquid vero occurret vel tibi, vel aliis non admodum expolitum, prudentis est boni consulere. Respice aetatem meam, respice tempus brevissimum, quo ad bona studia perveni, et miraberis me potuisse, quod vides. Si posthac tale quidpiam in manus sumpsero, efficiam, ut non possit displicere, bonis et doctis inquam. Tu interea vale, et me cum D. Jacobo, et Joh. Glothero redama, vos enim in primis colo. Tiguri. XI. Calend. Febr. Anno M. D. XIX.

ACCES-

ACCESSIONES EDITIONIS
BASILIENSIS

Apud JACOBUM PARCUM per ipsum
HENRICUM GLAREANUM procuratae
Anno M D LIV.

HENRICI GLAREANI

Epistola Nuncupatoria.

D. HIERONYMO A ROLL,

Salodorenfi, nobilissimo adolescenti,
Glareanus S. D. P.

UNdequadagesimus nunc agitur annus, suavissime ac in primis dilecte Hieronyme, quando juvenis ego elato, (scilicet ut aetas illa habet) spiritu, patriae nostrae descriptionem orsus, cum tredecim civitatum Panegyrico, sequente anno perfectum opus, Basileae editum ac typis excusum, concilio Helvetiorum, quod Tiguri tum habebatur, obtuli: rem ea tempestate mirabilem, quando nemo antea, quod equidem sciam, apud nostrates quicquam tale tentaverat, imò fortassis, ne cogitaret quidem (nisi cantilenas vulgò decantatas commemorare libet.) Cessit tum feliciter quod coeperam, magnificè enim exceptus, liberaliter donatus, ac honestius dimissus ab Helvetiis, magnum momentum nostris hominibus, et facilem ansam majora commentandi dedisse videbar. Sed scilicet rerum humanarum alastores, bella inciderunt: et per seditiosos homines variae in religione opiniones ac sectae, urbium ac principum dissensiones, quae per hosce triginta annos universam Germaniam penè pessumdederunt, vicinos Germanis Helvetios mirè afflixerunt, ut saepius propemodum pigeret, ac potius puderet operae, quemadmodum putabam, probe navatae. Nunc demum senex reviso, quod mihi olim juveni excidisse judicari poterat. Et totum quidem revisi opus, quaedam etiam retexui, maxime Geographica, imò ad regulam D. Aegidii Tschudi affinis nostri plurimum dilecti, plerosque locos emendavi, ex eo videlicet libro quem ille de Rhaetia doctissime scripsit, quo intra mille annos vix melior in re topographica prodiit. In eo enim libro multiplex eruditio, judicium acutissimum, Celticae linguae, qua hodie Helvetii utuntur, proprietates egregie expressa, ut qui eum in Latinam linguam vertere conati sunt, ridiculos se plane ostenderint. Sed de hoc alias. In hoc nostro opere duo potissi-

imum tractantur. In priore parte, est pura locorum descriptio ad Strabonis Geographi morem, qui geographica cum chorographicis sive topographicis plerunque miscet. Ea fere inconcussa manent: lacus, flumina, montes, valles, viae per Alpes, ac his similia. In posteriore parte, est Panegyricon, quod cum temporibus mutatur, secundum illud: Tempora mutantur, nos et mutamur in illis. Atqui Helvetii ita à nobis laudati sunt, quales eos esse vellemus: Majores suos imitentur, maxime in iis quae ad religionem, mores, ac gesta inclyta pertinent, haud ignari rerum mortalium, quam sedulo diabolus tanquam leo rugiens obambulet, quarens quem devoret: ut divus Petrus admonuit. Caeterum Commentarius in nostrum hunc libellum fuit Oswaldi Molitoris Lucerini ante annos triginta editus, cum ego Lutetiae stipendio regio fovebar, in quo multa mutanda fuere ipsi, quod versus in eo mutati sunt opere, et res pleraeque (ut jam diximus) lucidiores factae. Sed illud nunc laboris in nos incubuit, postquam ille nuper fato functus e vivis cessit: ne quis putet id odio magis quam ratione factum. Sed pluribus non est opus. Ad te redeo mi Hieronyme, qui dignus mihi visus es cui hosce labores dedicem, tum ob tuos, ut apud me aliquot annos vixisti, probatissimos mores, ac familiam, e qua natus es, honoratam: tum ob amitam tuam Barbaram à Roll (nihil minus quam barbaram) viduam à LUTERNAW nobilissimam illam heroinen. Quae quasi Helvetica Judith, quaeque singulare pudicitiae exemplum Susanna inter alias nitet foeminas, velut inter igneis Luna minores: ut est apud Flaccum. De qua non dixero, quod de Lucretia Valerius, cujus virilis animus maligno errore fortunae muliebri corpus fortitus est. Quid enim hoc ad aeternam vitam cum Christo possidendam retulerit? Id dicam, cui Deus dedit tantas virtutes, tanta naturae ac gratiae munera, ut nemo hodie mortalium privatus unus fere vivat, quem vivere magis ad omnium salutem referat. In ea sane matrona natus videtur Hippocrates aut Mithridates aliquis, in noscendis herbarum virtutibus. Quot hominum corpora salubribus medicamentis pristinae restituit sanitati? Cui aegro non illa vel consulit, vel succurrit? Idque non lucri, sed pietatis gratia. Veniunt e Germania in Helvetios ad illam tanquam ad Aesculapium, aut oraculum Delphicum. O vere pauperum refugium,

divitum solamen! Quid ego Christianum in ea animum praedicem, nulla haeretica pravitate inquinatum? Quid heroicas virtutes? Spiritus sancti dona? Ineptus plane sim qui existimem epistolari angustia illius me, cum corporis, tum animi dotes perscripturum. Itaque desino de illa plura dicere. Unum hoc testatum volo apud posteros, urbem Salodorum, imo universos Helvetios, non minus vere gloriari posse de hac heroide, quam vel Scythae de Tomyra, ut est apud Herodotum, vel Romani de sua Lucretia: imo tanto justius gloriandum illa nobis, quanto pluris faciunda est Christiana pietas tragoediis illis ethnicis. Tuum est mi Hieronyme, illius iussis parere, ejus exemplo ac majorum tuorum ad magna ac honestissima quaeque excitari. Vale felix, una cum Johanne Rudolfo fratre tuo dilectissimo. Friburgi Brisgoae, anno à JESU CHRISTI natali millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

IN HELVET. DESCRIPTIONE.

- Verf. 17.
Tum Ceretos populos spatioque remota parumper.
- Verf. 25.
In Boream cursans cursu crepitante diremit.
- Verf. 31.
Hinc arva Allobrogum, Rhodanoque super Genevae pons.
- Verf. 81.
Sed contra Boream ortumque obitumque astrorum.
- Verf. 145. et seqq.
Tertius Urfa celer, nunc verso nomine Rufa,
Gotthica stagna trabens, Tauriscas proruit undas,
Alpibus a summis, hoc est, à monte Gotthardi
Usque ad Luceriam, Tuginisque annibus auctus
Labitur in patrios etc.
- Verf. 149.
Ultimus est Arola, is Rhodano contrarius exit,
Thunum it et Arctopolim etc.
- Verf. 167.
Tres Arola, et tres Urfa, sed obliuiscatus arenis.
- Verf. 176.
Laeta quod in planum fluvios habuere receptos.

IN PANEGYRICO.

- Verf. 36.
Hanc Arola undosus, Rhodanoque fugacior annis.
- Verf. 42.
Tertia Luceria est, summa dicenda Camoena.
- Verf. 45.
Non Leopoldi iras timuit, non Suevica bella.
- Verf. 54. et seqq.
Uria post ingens Taurisca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunaeque pericula in has compulsa latbras
Delituit multis annis, ignobile fessa
Ocium agens, donec claris Habsburgius Heros
Ductor in Helvetiis multa virtute Rudolphus
Surgeret Ansonii praecelsa in culmina Regni;

Ad veteres rediit mores, sunt robora prisca,
Atque eadem virtus est etc.

Verf. 128.

Gloriaque illustris, praedonum virga Friburgum.

Verf. 139. et seqq.

Urbs quam Roma simul sociam Treuerque sororem
Appellent, Salodorum ingens, te scindit et ambit
Ipse Arola, en tibi sunt sacris Thebaea Sepulcris.

Verf. 149.

Ut Romam factis aequas, vincasque sororem.

Verf. 150.

Subticeanne tuos piscosa Scaphusia laudes.

Henrici Glareani ad hos versus adnotationes.

Genevae pons) Quatuor haec nomina Genua, Geneva, Genabum et Gebenna multum obscuritatis Lectori ingerunt, ac non attentos saepe fefellerunt, quae ipsa longe diversa sunt. Genua enim (non Janua) Ligurum caput in Italia ad mare mediterraneum. Geneva vero Allobrogum, ad hostia Lemanni lacus, ubi Rhodanus exit. De hac nunc poeta loquitur. Genabum autem Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie, ut quidam putant, Aurelia. Denique Gebenna mons, qui Helvetios (hodie Albin) ab Arvernibus separat, ut *Lib. VII. Comment. Caesar.* patet.

Tertius Urfa celer) Ab Urfa flumine, hodie Rufa inversa priore syllaba, tertius conficitur pagus.

Nunc verso nomine Rufa) Id est syllaba *Ur* in *Ru*.

Tauriscas) Uriorum. Suici enim à Gothis, Urii à Tauriscis descendunt. Porro quanta sit prima de Gotthis, incertum autores faciunt: si respicimus etymon ejus à Germanico *Guot*, diphthongo produceretur, sed eam nec Graeci nec Latini agnoscunt. *Ausonius* corripuit. At bona pars eruditorum geminat *tt*, unde et produci potest. Poeta utrumque et hic et alibi secutus in Gotthico ac Gothardo.

Alpibus à summis) Summas Alpeis *Caesar* vocat, qui nunc mons S. Gotthardi dicitur, e quo VII. flumina ad quatuor mundi plagas profluunt. Nempe ad ortum citerior ac ulterior Rhenus [qui postea tamen ad septentrionem]: ad meridiem Ticinus, Madia, ac Tosa: ad occasum Rhodanus: inter occasum ac septentrionem Arola: denique ad septentrionem Rufa sive Urfa.

Usque ad Luceriam, Tuginisque) Luceria inclita urbs ad hostia lacus jam dicti, qui communis ipsi est cum Uriis, Suicis ac Sylvanis: de qua, sicut et de Tugio, postea in Panegyrico. Augetur autem Urfa Luceriae ditionis fluvio, Emmana, et Tugini lacus ostiis circa vallem, quam Mariae dicunt.

Tertia Luceria est) Luceria, cui nomen vel a luce vel antiquissima Samnitium urbe, quae et ipsa a luce dici videri potest.

Summa dicende Camoena) Summa magna hoc loco, non ultima, ut apud *Horatium*, unde haec sunt verba.

Taurisca gente creata) Sequitur poeta opinionem D. Aegidii Tschudi Claronensis, civis ac affinis sui, qui Urios Tauriscae gentis reliquias existimat. Sicut ii hodie, qui ad Carnos sedent, *Stiermarck* vocantur, pro *Stiermarck*, antiquissima in Gallis gens, sed multis vexata calamitatibus, et in Italia et in Illyrico, diversas in sedes, ut Boji, diver-

diversis temporibus dispersi sunt: Sic Urios in Alpes has venisse, et lingua Gallica, et insignia, taurinum caput, argumenta esse possunt.

Habsburgius Heros) Nobilissimae familiae ab *Habsburg XIV.* comites fuere, usque ad Rudolphum hunc, qui Romanorum rex postea electus fuit, ac domum Austriae tantam fecit. Ille primus illexit in amicitiam Urios, Suicos, ac Sylvanos, porro quamdiu ille vixit, bene res habuit. Verum eo mortuo, praefecti ejus existimantes vere subditos, non foederatos, tyrannide coepere plebem premere, sed inde prorsus expulsi, imperium cum vita amisere, ut initio descriptionis dictum est.

Ad veteres rediit mores) Id est, rursus bellum sumsit, ut majores ejus, sed jam Christiani facti a multis annis.

Praedonum virga) Quia ea Helvetiae pars, quae inter Friburgum ac Genevam jacet, saepe infamis suis latrociniiis a Friburgensibus ac Bernatibus, quantum in ipsis fuit, purgata.

Treuerque sororem) Treueri per secundam vocalem duabus prioribus syllabis, a nominativo *Treuer*, et est diphthongus *eu*. Est enim *Treuen*, minari Gallica lingua: unde Treueri dicti, quasi minaces. De his ac similibus in *er* nominibus, multa poeta noster in Annotationibus in Lucanum ad illum versum ex primo Pharsaliae: *Tu quoque laetatus converti in praelia Treuer*. Est enim prima diphthongo longa, quam quidam male corripunt.

Piscosa Scaphusia) Vix alia est urbs, ubi ditius est forum piscatorium.

In commentario ad Helvetiae descriptionem.

Verf. 6. nota: *Autor*) Wilhelmus vera scriptura, sed abusus evicit Guilielmus.

Verf. 7. nota: *Cir pomum fronte pusilli*) Pro pectorali scribit humerali; pro *pomum*, malum.

Ibidem: Et jam medium lacus, qui quatuor civitibus communis est, tenebant.

Ibidem: Adprehendit clavum, vir alioquin robustus ac nunc in magna constitutus necessitate. Jam navis in vado putabatur etc.

Ibidem: Ad lacum usque Tuginum.

Verf. 9. nota: *Quod studium*) Oculos seni cuidam eruit, omnibusque bonis privavit.

Verf. 11. nota: *Maneat nostros*) Versus est *Vergilii* ex tertio *Aeneidis* paululum immutatus:

- - - *Maneat ea cura Nepotes.*

Verf. 12. nota: *Illius auspiciis*) Propositio est, quam invocationi postposuit, more Graecorum poetarum.

Verf. 14. nota: *Ludere versu*) Secutus est eos, qui ita praecipunt: Ludimus minora, canimus majora. *Virgil.*

Ludere quae vellem calamo - - -
Arma virumque cano - - -

Verf. 18. nota: *Aetnatica rura*) Haec iterum *Strabo*, libro quarto, apud quem est Diphthongus *Αιτνατικός*. Unde poeta hic *u* pro consonante accipit, ut sit tetrasyllabica dictio. De illis *Tschud.* in *Rhaetia* cap. XVII. egregie disserit: non sunt autem ultra Rhenum, ut putavit poeta, sed citra utriusque et Aetnatici et Leopontii in Caninis hodie Rhaetis.

Verf. 19. nota: *Rhetus*) Quidam eos arbitrantur a Gallis e Thuscia pulsos, ac duce Rheto Alpes occupasse, ac ita *Livius* Lib. V.

Verf. 22. nota: *Duo cornua*) *Vergilius* aliter bicornem adpellat, propter hostia duo.

Verf. 23. nota: *Monte Diaduella*) *Strabo* testis, ut supra diximus. Sed poeta secutus *Strabonis* codicem, qui etiam in Graecis variat nomen. Multi existimant ubique *Adulas* legendum, nisi quis putet eum montem plura habuisse nomina, *Adulas*, *Aduallas*, *Diaduella*: sicut hodie tres transitus per eum insignia nomina habent, *Urseler*, *Vogel*, *Lucumonis* mons. Vide *D. Aegidium Tschud.* in *Rhaetiae* descriptione Cap. XXXI.

Verf. 24. nota: *Acronium*) *Acromumne* tribus syllabis, an *Acronium* quatuor syllabis dicendum foret.

Verf. 25. nota: *Diremit*) *Praeteritum* pro praesentis, quamquam ad praeterita quoque tempora referri potest.

Verf. 26. nota: *Insubres medium*) Nomen est Gallicae linguae qua etiamnum Helvetii utuntur *Unsuber*, ut pleraque alia Gallorum Cisalpinorum nomina *Künman* *Coenomani*, *Mantow* *Mantua*, *Vener* *Veneti*.

Ibidem de Segusio: *Ptolemaeus* in Italiae descriptione ita ait: *Segusianorum in Graiis Alpibus urbes Segusium ac Brigantium*. Haec ille. *Sebusiani* autem inter *Rhodanum* ac *Ararim*, apud *Caesar*. Lib. I. de bello Gallico. *Sedusii* vero Germaniae populus est, ut apud eundem Lib. I.

Verf. 28. nota: *Ursella*) Vallis ad radices *Gothardi* stadiis fere nonaginta distans.

Nota: *Ubi spumifer*) Cursum ejus sequutus *Sedunum* usque.

Verf. 31. nota: *Allobrogum*) Partem ejus regionis duces *Sabaudiae* habuerunt, nunc *Franci* omnia occupant. De *Geneva* oppido *Caesaris* verba subscribam, inquit enim: *Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva, ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet*. Haec ille.

Verf. 32. nota: *Seduni*) *Vallesiani* dicuntur hodie, a *Rhodani* fontibus ad *Lemannum* lacum protrahuntur.

Verf. 33. nota: *Veragri*) *Populi* *Sedunis* finitimi supra lacum *Lemannum*; hodie inferior *Valesia*, eorum vicus *Octodurus*, hodie *Martenach*. *Caesar* de *Sedunis* et *Veragris* Lib. III. *Comment.* meminit. Male enim tractatus ab iis est. Ipse poeta de iis multa in *Commentaria* *Caesaris* scripsit lectu digna.

Verf. 34. nota: *Denique ad occiduas*) Quae regiones *Helvetiam* contingant ab occasu exponit.

Verf. 35. nota: *Burgundos acres*) *Burgundi* origine *Germani* olim occuparunt *Sequanos*, populum *Galliae* inter *Rhenum* ac *Arvernos*, late potentem.

Verf. 40. nota: *Lingonicus*) *Lingones* hodie *Langes*. *Leuci* autem in *Lothoringia*, id quod antiquitates etc. *Ptolemaeus* quoque civitates *Leucorum* dicit *Tullium* et *Nasium*.

Verf. 44. nota: *Rauriacam*) A *Rauracis* extractam post excisam *Augustam* ipsorum.

Ibidem de Basilea) Quae quidem hodie, ut tempore *Caesaris* *Rauraci*, cum *Helvetiis* est in foedere. Sed ipse poeta super I. *Comment.* *Caesar.* ita disserit: *Rauracos* supra *Basileam* habuisse sedes, atque *Augustam* urbem maximam, cujus etiam hodie vestigia sunt, pertigisseque eorum imperium

- rium recta ascendendo secundum Rhenum ad confluentem usque Rheni ac Arolae, ditionis hodie Helveticae, satis consonum veritati est. Hi *Rauchacker* olim Germanica voce dicebantur, quasi dices duri agri. Ejus tractus hodie quatuor sunt elegantia oppida: *Waldshut*, *Lauffenberg*, *Seckingen*, und *Rheinfelden*. Haec ille, et plura alia lectu digna.
- Verf. 45. nota: *Sacconium*) Rectius Sequanium. Vulgo Seckingen oppidulum Rheni, XXVI. millibus passuum supra Basileam in mediis Rauracis jacens.
- Verf. 46. nota: *Arietis hinc urbem*) Quam (*Schaphusiam*) vulgus nominatam putat ab ove (quam opinionem hic sequitur, sed in Panegyrico alteram.)
- Verf. 49. nota: *Hercynios saltus*) De sylvā Hercynia multa etiam poetam nostrum in Annotationibus super sextum librum commentariorum *Caesaris* exposuisse monet.
- Verf. 51. nota: *Erythropolitano*) Michael Rubellus, qui bonas literas cum maxima laude multis annis Bernae professus est.
- Ibidem*: Denique quod illic per biennium literis incubuerit poeta. Ejus urbis laudes ipse poeta una cum praeceptoris Encomio celebrat *Lib. II. Cap. XXXIII. Dodecachordi*, ubi de connexionē aeolii hypoaeolique differit.
- Verf. 52. *Ariovistum reddit Erenvestum*. Vox, *addit*, est Germanicae linguae, *Erenvest*. Caesar vocem, ut alia, corruptit, *Ariovistus*.
- Verf. 59. nota: *Aeternis Alpes nivibus*) Qui montes altos vocitent Alpes, quod est verisimile.
- Verf. 64. nota: *Rhodanus*) Quamvis citra Lugdunum ad meridiem se flectat.
- Nota: *Ad Zephyrum*) Id est, occidentem, indicat enim etc.
- Verf. 65. nota: *Ister*)
Alluit Elysios, Ariosque et Poenon oram,
Et Lygios, tandem rapto tumefactus aquarum.
Verum de hoc flumine et ejus, non uno, sed duobus fontibus *Prygen* et *Pregen*, ipse poeta multa notatu digna scripsit in annotationibus *Comment. Caesar. Lib. VI.*
- Verf. 77. nota: *Fontibus irrigua*) Fontibus, amnis, et lacubus non est similis Helvetiae natio sub coelo, ut putat poeta noster.
- Verf. 85. nota: *Quid liquidos referam*) Ut *Dura*, *Emmana*, *Rhodano*, ut in *Sedunis*, innumerisque talibus.
- Verf. 108. nota: *Primus adest Duras*) Quidam putant, olim *ur* syllaba producta dictam, et *Celtice die ur*, ac abjecta de articulo diphthongo *je, dur*. Sed postea ita mansisse nomen, quasi simplex.
- Verf. 112. nota: *Hic ager Helvetius*) *Caesarem* locutum de agro *Aventicensi* et *Moretensi*, de quo ipse *Caesar* fortassis audierat, nam *Caesar* *Helvetiam* non vidit.
- Verf. 115. nota: *Adhuc fluvii nomen*) Quamquam ipsi proferunt per *gen*, addita etiam *w*, *Durgenw*, *Algenw*, *Brisgenw*, *Hegeiw*.
- Verf. 116. nota: *Doggius*) *Uldrici Zinlii Encomium* à *Myconio* ibi adscriptum *Glareanus* omisit.
- Ibidem* de altero *Cellae* etymo addit: Sed poeta noster somnium putat. De oppido *S. Galli* postea dicemus.
- Ad Verf. 118. *De Constantia*: Vide ut Poeta hic minime invidus huic urbi suam tribuerit laudem: cum nulla unquam vicina urbs rebus Helveticis magis obstiterit, non magno sane suo commodo.
- Verf. 119. nota: *Deinde paludosus*) Hodie tamen nomen [*Limagi*] satis clarum ac integrum est.
- Ibid.* Post verba: *Et vocari Linthum*. Deinde ex lacu *Rivario* alium effundi amnem, cui nomen *Magus*, eos confluere in unum, ac deinde *Limagum* vocitari: intrare autem, posteaquam ab origine circiter decem millia passuum, *Claronam*, atque infra *Claronam Castra*, et *Marcam*, duas regiunculas irrigaverit, in lacum *Tigurinum*, huncque pertransire ita et medium urbis *Tiguri*, post haec autem cursu ad *CC. stadiorum* confecto in *Arolam* primum, brevissimo post spacio in *Rhenum* influere.
- Ib.* ad vocem *paludosus* adnotat: Dixisset *lacunofus*, si lingua Latina haberet, aut si ea vox à lacu derivari potius videretur, quam a lacuna. *Limagus* enim lacus excipit ut minimum quinque.
- Verf. 120. nota: *Hospes Aduleae*) Porro *Limagus* oritur ultima parte *Claronensis* ditionis quae attingit *Aetuos*, quibus *Adulas* imminet. *Ptolomeus* valde latum hunc montem facit, ut sit verisimile etiam *Urorum* ac *Suicorum* regionem contingere, ad lacum usque *Tigurinum* ubi adhuc nominis aliquid est, *Etzel*, post quem lacum est *divae Virginis templum*, de quo noster poeta, quod *Christo* episcopo consecratum creditur, ac *magnae Europae* parti notissimum. *Myconii autem verba*: Hodie *Etzel* dici putant aliqui, et quae sequuntur, *Glareanus* expunxit.
- Verf. 143. *Sunt et qui*) Sunt qui à *Limago* *Allemaniam* dictam putant, sed poeta opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.
- Verf. 145. *Tertius horrendo*) Non procul a veteri pago, ita locus primus apud *Urios* nuncupatur.
- Ibidem*. In lacum quatuor *Civitatibus* communem [ut dictum est,] sed appellationem habentem a terris, quas alluit, ingreditur. Hunc, inquam, locum pertransit ad urbem usque *Luceriam*, qua secta in partes duas denuo erumpit. In multos deinde circumductus gyros *Rhenum* intrat non multum sub *Brugis* *Herogae* oppidulo.
- Verf. 148. nota: *Labitur in patrios*) A quibus (*Gothis*) ut supra dictum est, *Suici* suam aestimant originem, quam poeta hic sequitur ad vulgi opinionem.
- Verf. 149. nota: *Ultimus est Aravis*) Porro de hoc flumine et oppido *Salodoro* in *divi Mauriti* vita de sancta *Thebea* legione ita legitur: *Ex eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodori passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est super Arolam fluvium, neque longe Rheno positum.* Haec ille. Quod si, quod *Valla* docet *Lib. IV. Eleg.* Castrum est locus muris munitus, et ut *Ser. in VI. Aen.* fatetur, etiam civitas: certe haec verba pulcherrime in urbem *Salodorensis* conveniant. Meminit autem et fluvii *Arolae* *Boccatius Flor.* ubiubi legerit. Neminem enim, ut solet, citat autorem.
- Verf.

Verf. 158. nota: *Oppida multa ambit*) Bernam, ut dictum est, fere ambit, ac alia quaedam oppidula.

Ibidem de Salodoro) Videtur autem ibi falsis vectigal fuisse Romanis.

Ad Verf. 160. *De Arow adjicit*: Nam quod ab *Ar ave* haec oppida putant, tale est, quale Basileam à Basiliaco.

Ad Verf. 160. *Et adunci Vulturis*) Quanquam duae ejus nominis sint in Helvetiis arceis, altera ad lacum Lucerinum, hodie diruta: altera supra Brugas ad Arolam quae hodie Bernatium est, integra: ab utra autem XIV. comites (tot enim sunt hodie in principum Austriae genealogia) historici certant, et adhuc sub iudice lis est.

In commentario ad Panegyricum.

Verf. 2. nota: *Mores studiumque*) Quamvis non clam me sit, multis longe videri aliter etc. *Quae vero in malevolos ibi dicuntur omnia Glareanus delevit.*

Verf. 10. nota: *Quibus una fides*) Concordia Helvetiis sine dubio et imperium auxit, et rem universam. Ergo quibus una voluntas, id est, quae esse debebat. Ita enim sunt res mortalium.

Quae ibi Myconius de Helvetiorum pugna juxta Mediolanum exposuit, Glareanus obliteravit omnia.

Verf. 18. nota: *Salve belligerae*) Superne lacus incumbit lympidissimus longus circiter XXX. millia passuum. Is urbem difficans in medio, Limagam, quem infra Claronam excipit, effundit. *Tigurinorum laudes, quas ibi attexuit Myconius Glareanus silentio pressit.*

Verf. 30. nota: *Accede*) In locum est porrecta bene longum.

Ad Verf. 35. *Illis, quae Myconius de pugna Loupensi apposuit, deletis, Glareanus haec tantum adnotavit*: Fuere enim Bernates olim cunctatores, minimeque temerarii, unde tantum nacti sunt imperium.

Verf. 38. nota: *Daedalius*) Artificiosos. Loquitur autem poeta de templo et area ante templum, denique de universa urbe, quae ex lapide quadro fere tota facta est, praebente materiam copiose, qui ad imum urbis est, monte scitili: caeterum non credo talem urbis situm esse terrarum orbe, qualis est Berna. Arola enim (ut dictum est) tam profundum habet alueum, ut locum, cui imposita est urbs, quique ipsum flumen, a meridie, ortu, ac septentrione circumdat, montem fecerit. Dorsum longum est ad mille plus minus passus, trium platearum, sed latissimarum, per quas ita amnis ab occasu, nempe isthmo, qui continenti adjungitur, immittitur, ut per omnes non modo plateas, sed etiam domos meet, omnes fordeis abluens.

Verf. 42. *Deinde est*) Ingenia vero non poenitenda. *Xylopecti encomium silentio involvit.*

Verf. 49. nota: *Quodque a luce*) Poeta sequitur antiquam vulgi prolationem, qui Luceriam adhuc Luceri, accentu in prima syllaba posito, pronuntiant, cum nunc Lucernam vocitent vulgo. Et sane Lucerna abjectum vocabulum est, quod *Vergilius* nequitiam dignatus est heroico

versu, quia a primitivo defecit. Sciolus aliquis et historiarum imperitus nobis ex Luceria nobili nomine Lucernam fecit ignobile, indignum viculo vocabulum, nedum nobilissimae urbi.

Verf. 54. *Uria post ingens*) Ab Uro bove sylvestri, cujus caput Taurisci etc.

Verf. 66. nota: *Suitia bellipotens*) Poeta his attribuit ea, quae *Maro IX. Aeneid.* priscis Latinis et *Baptista Mantuanus* etc.

Verf. 73. nota: *O Gothica*) Hic producit primam de Gotthia, ut diphthongus *Guot* exposcit. Dicti enim Gotthi *die guoten*. Qui cum Getis eosdem putant, toto errant coelo. Getae enim ad finem Danubii sedem habent. Gotthi autem in Scandinavia regione septentrionali, velut altero mundo, de qua natione Olaus Magnus Gothus, frater Joannis Magni Upsaliensis episcopi viri sanctissimi, elegantem nostra aetate descriptionem exhibuit.

Verf. 77. *Uri Guilielma*) Pro Guilielmi Urii, figuratus sermo, cum synaeresi Uri pro Urii.

Verf. 78. nota: *Sylvanam gentem*) Underwalden, quasi dicas Inter sylvas, non autem a centum sylvis, ut quidam somniarunt; sic enim aspirationem acciperet.

Ibidem: A Romanis, ut fama est, inferior pars, quae *Stans* vocatur, descendit, expulsa ab urbe per seditionem, quos quantum etc.

Verf. 86. nota: *Huic est vastae*) Nostrae poetae parens cum eo locatus fertur, cum avo poetae ac ejus majoribus bello interfuit. Poeta eo anno natus est quando Nicolaus moritur, anno Christi M CCCC LXXXVIII. Filium ejus consulem vidit poeta Sylvaniae, anno a Jesu Christi Natali M D X.

In festo sydere natae) Quia paulo post tyrannidem dirutae sunt.

Tua jura Agriane) Novam libertatem, quae alia adferebat jura, et Agrianum Suicum (de quo antea) vulgo *Stouffacker* vult intelligi.

Nicoles) Attica declinatio, ut *μενέλειος*. Nam Nicolaus, ditrochaeus heroico versui minus apta erat dictio.

Verf. 93. nota: *Terra minor reliquis*) Eximia laus hujus urbis, cum civium pauciores habeat, cum maximis tamen civitatibus Helvetiorum nunquam detrectavit certamen, sive adversus externos bellandum esset, sive civili bello opus fuit, unde et praeturas externas, suffragiumque aequam cum maximis habet civitatibus, tanquam prima classis Romana inter caeteras. Hanc noster poeta semper maximi fecit.

Verf. 99. nota: *Camillos*) Poeta elegantiae gratia numerum mutavit, quemadmodum *Vergilius II. Georg.*

Extulit haec Decios, Marios, magnosque Camillos.

Ad Verf. 102. *Postquam Arbogastum Strub civem Claronensem celebravit, Conrado Fontejo Wesenio praeterito ad Tschudii et Schulii laudes progreditur*: D. Aegidius Tschudi insigne ornamentum hujus seculi, una cum fratribus et tota illa familia poetae nostro faventissima. Adde his D. Henrichum Schulum Nephelinum poetae ex sorore nepotem, in rebus mathematicis non mediocriter eruditum: sed ad alia transeo.

- Verf. 103. nota: *Temeraria Rheni*) Oppositi sunt Claronenses Rheno ad Sarunetes ac vicinos populos Estiones.
- Nota: *Libertatis Vindex*) Explosit enim tyrannos et arceis, quas septem eminentissimas et fortissimas habuit, disjecit.
- Verf. 107. nota: *Aspice dissecto*) Pugnam significat Nephelinam, praecipuam in Helvetiorum prima libertate: in qua hi populi contra Claronenses suos miserunt exercitus, Dux Austriae, Scaphusia, *Winterthur*, *Kiburg*, *Doggii*, Cellani ad lacum Venetum, *Veldkirch*, domini ex *Thorberg*. *Rapperschwil*, *Grüningen*, *Utzna* et *Vesenum*: oppidum eis ob propinquitatem inimicissimum, quod quidem hoc bellum excitavit. Caeterum in ea pugna tria millia hostium, praeter eos qui in lacu Rivario submersi sunt, ceciderunt, quindecim milia contra minus mille viros commissi. Hanc pugnam poeta, ut vix credibilem, heroico carmine juvenis olim luserat, sed certis de causis non edidit. Obiter autem hic notandum, poetam nostrum Claronensem vocari a patria. Glareanum autem a familia, atque a paterna domo a Glarea, *am Steinacker*.
- Ibidem*, nota: *Vesenia Pergama*) Moenia oppidi *Vesonii*, quod hodie *Wesen*, nunc tamen dirutum, est autem ad ostia lacus Rivarii, quem hodie *Walensee* nominant a Rhaetis, qui olim eum occuparunt, sic dicti. Ut oppido eleganter differit *D. Aegidius Tschudi* in Rhaetiae descriptione *Cap. VII*. Situs oppidi *Wesen* commodissimus ac amoenissimus olim fuit. At nostra tempestate in angulum satis angustum vicus magnificus est, ad oppidi formam, sed absque muris.
- Verf. 111. nota: *Inclutus effugiens*) In qua hodie *Sequanium* oppidulum est a *Sequanis*, ut supra dictum est, nominatum, quamvis ipsum in mediis *Rauracis* jaceat. Ibi plurimis annis in Dei servitio peractis obdormivit. Vixisse *Sequani* videtur anno a *Jesu Christi* natali quingentesimo, ut *ibidem* in magnifico templo sacris virginibus consecrato legitur.
- Ib.* nota: *Noctem opacam*) *Hiberniam* aut *Scotiam* innuit.
- Verf. 112. nota: *Hillarion*) Poeta primam epenthesi produxit τὸ λ. Et in *on* magis quam in *us*, quia in *Gallus* sequebatur eadem terminatio *us*.
- Verf. 114. nota: *Rauriacas Arces*) Universitas eruditae plena.
- Ibidem*: Ut *D. Ludovicum Berum Theologum*.
- Verf. 128. nota: *Gentis Aventinae*) *FALCO* eques auratus et ejus urbis Consul.
- Verf. 132. nota: *Belli memorabile fulmen*) Ita *Scipiones* quoque duo belli fulmina ab *Ennio* nuncupantur; Et *Vergilius Lib. VI. Aeneid.*
 - - - - - *Duo fulmina belli*
Scipiaes - - - - -
- Verf. 155. nota: *Hic rapidus*) Sub *Scaphusia* circiter 3000. passuum, major *Rheni* cataractes est, id est, ex alta decidens rupe aqua, magnum naturae miraculum, ut plane mirer cur *Plin.* ac *Corn. Tacitus* nihil de eo scriptis prodiderint, cum oculati, ut dicitur, testes Galliae ac Germaniae fuerint. Medius *Rheni* cataractes est ad *Louffenberg*. Tertius ad *Rhinfelden* 12000. passuum supra *Basileam*.
- Verf. 156. nota: *Scyllaeque voracis*) Ut alias veluti terga dantes vorticibus mergi, alias desiderere etc.
- Verf. 161. nota: *Tarda venis*) Recepta in numerum partium Helvetiarum Anno *M D XIV.* cum antea socia fuerit, sed absque suffragio publico totius regionis Helvetiae. Porro alius est ordo, ut in conciliis locum habent: alius in annis libertatis inchoatae. Eos nunc referemus, *Suicia*, *Uria*, *Sylvania* primum foedus inierunt anno salutis *M CCC XV.* Accessit his *Luceria* quarta pars Anno *M CCC XXXII.* *Tigurum* quinta pars *M CCL I.* *Tugium* et *Clarona* anno dein proximo nempe *M CCLII.* *Berna* octava pars sequente item *A. M CCLIII.* Hae urbes octo publici consilii durarunt solae usque ad annum salutis *MDI.* Quo anno quatuor urbes, ut concilii publici principes creatae sunt, *Salodorum*, *Friburgum*, *Basilea*, ac *Scaphusia*. Quanquam longe ante sociae essent, et confoederatae, sicut *Abbatiscella* quae ultimo Anno *M D XIV.* pars principalis facta est.
- Verf. 172. *Summas*) *Vergilius Lib. VII.*
 - - *Nec teneras cursu laesset aristas.*
- Verf. 177. *Doggia castra*) Expressit vulgatam appellationem *Doggenburg*.
- Verf. 178. *Vallis, quae nomen ab ansere*) Vide de oppido pulcre differentem *D. Aegidium Tschudi* in *Rhaetia*, *Cap. XXII.* *Sarunetas* enim olim eam possedisse vallem a *Sara* flumine supra oppidum *Sargans*. Et meminit *Sarunetum Plin. Lib. III. Cap. XX.*
- Verf. 203. *Papa tibi*) *Papa* vocabulum vix poeticum. Verum quia *pontifex* creticum facit, qui pes heroico versu non congruit, quod proximum fuit, et Christianis usitatissimum arripuit. Sumta est comparatio ex capitulo solitae benignitatis, versiculo praeterea, extra de Majoritate et obedientia. Comparatio non omnibus, praefertim hac aetate placens, quod vita pontificum huic dignitati non omnino respondeat. Poeta putat se non esse pontificum judicem, sed *Christum*, qui hanc dignitatem dedit *Petro* ac ejus successoribus. Pontifices reddituros rationem suae villicationis. Se hoc scribere de pontificibus quales esse debeant, non quales sint vel fuerint quidam ex eis.
- Postremo *Glareanus* pro *Glaronense* ubique *Claronense*, pro *Rhoetia* *Rhaetia*, pro *Leopontinis* *Lepontinis* et similia legi jubet.